Morborum definitiones, causaeque continentes : quibus accedit toxicologia / auctore Ricardo Maddock Hawley.

Contributors

Hawley, Richard Maddock.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Veneunt Edinburgi apud Guthrie & Tait ..., 1827.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/rys5tn7p

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



Gp. 30

R53522

For the library of the Royal college of Physicians from the Author

MORBORUM DEFINITIONES

CAUSAEQUE CONTINENTES,

&c. &c.

QUIBUS ACCEDIT

TOXICOLOGIA.

AUCTORE

RICARDO MADDOCK HAWLEY, M. D.

COLLEGII REGII MEDICORUM EDINENSIS

SOCIO,

NECNON

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS

SOCIO EXTRAORDINARIO.

EDINBURGI:

VENEUNT EDINBURGI APUD GUTHRIE & TAIT;
NECNON LONDINI, APUD LONGMAN, REES,
ET SOCIOS.

MDCCCXXVII.

Excudebat P. Neill.

VIRO OPTIMO ET EXIMIO

ANDREAE DUNCAN, M. D.

MEDICINAE THEORETICAE IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI;

QUI

LEGES HUJUS ACADEMIAE,

PRAECIPUUM EJUS GLORIAE FONTEM,

DEFENDERE, SANCTASQUE CONSERVARE,

NITITUR;

HASCE MORBORUM DEFINITIONES, &c.

SUMMA OBSERVANTIA,

SACRAT

AUCTOR.

PRAEFANDA.

Scribendi cupidi aut spe novi exquirendi et proferendi, aut jam explorata luce nova et clariori illustrandi, incitari solent. Si horum alterutrum scripturus pollicear; fieri potest, ut quibusdam superbire; si neutrum, ut opus inutile suscepturus esse, videar.

Ex quo Cullenus, inter scriptores medicos, qui Britanniis decori fuerunt, facile princeps, artem Apollinarem, antea rudem et indigestam, ordine lucido, prius ignoto, instruxerit; medicina incrementa quam plurima, nec levis momenti, accepit. Quantam vero lucem morbis summae cutis Villanus atque Batemanus, febribus Armstrongius, rei chirurgicae Abernethius, morbis cordis et pulmonis Corvisartius atque Laennecius, affuderint, nemo medicinae hodiernae doctus ignorat. Quamvis igitur definitiones morborum Cullenianae praeclarae sunt, laudeque sum-

ma dignandae: fateri tamen oportet, hunc clarum auctorem de pluribus valetudinis adversae generibus, quae nuperi feliciter scrutati sunt, prorsus silere. Nec sane dubitari potest, quin CULLENUS mala permulta morbos vocet, atque definiat, quae multo rectius inter morborum signa habentur.

Mihi in animo est, luce hodierna uso, omnia morborum genera jam cognita definire. Siqua utilia, aut notu digna, hucusque praetermissa, protulerim; haecce me e fontibus hodiernis vel recentioribus potissimum deduxisse, lubens fateor.

Ratione duplici morbi definiri possunt: vel causa continente, modo innotescat, proposita: vel iis signis enarratis, citra quae morbus adesse non potest. Utramque exemplo definiendi rationem illustrare, haud alienum erit. Si *Icterus*, causa continente praedicata definiendus est, hujuscemodi verbis utendum: "Bilis sanguini circumfluenti immista." Quod si alteram definiendi rationem sequi malim, voces hujuscemodi conveniunt: "Cutis oculique flava: urina crocea, naturas candidas immissas colore luteo tinctura: alvus saepius tarda, atque dejectiones albidae et durae." Modo hanc, modo illam definiendi rationem sequi placuit: nec raro Causam Continentem Definitioni e signis propriis enarratis confectae subjeci.

Signa plurium morborum gravium fusius descripta definitionibus adjeci; quoties inter definiendum notas omnes cognitu dignas enuntiare non licere videretur.

Fontibus praecipuis usus sum, claris auctoribus antea memoratis. Neque non confiteor, me quam plurima e libro, quem vir eximius, MONRO Tertius, Professor Anatomes noster praeclarus, de morbis alimenti meatui infestis conscripsit, excerpsisse.

Mihi hoc opus aggressuro, initio non nisi signa venenis ingestis sive admotis exorta enarrare in animo fuerat. Quum vero perpauci auctores de venenis ample scripserunt; utile nec alienum duxi, quaeque ad TOXICOLOGIAM attinentia, memoratu dignissima, literis mandare. ORFILA, BRODIO, PARISIO et FONTBLANQUIO, CHRISTISONO, aliisque claris auctoribus, potissimum usus sum.

EDINBURGI,
Kalendis Martii,
MDCCCXXVII.

INDEX RERUM.

DE MORBORUM DEFINITIONIBUS.

I. Febres
- A. Miasmate ortae
  - *a.* Intermittentes, atque Remittentes.
  - *b.* Febris flava.
- B. Contagio aliunde-ve ortae
  - *a.* Typhus.
  - *b.* Typhus pestifera
    - Quarum alterutra est Triplicis generis:
    - *x.* Simplex.
    - *y.* Inflammatoria.
    - *z.* Congestiva.

II. Inflammatio, sedes variae.
Phlegmone, ejus fines.
Inflammatio Phlegmonoidea.
..... Erythemoidea.

III. Febris Hectica.

IV. Febris Remittens infantum.

V. Pyrexia.

MORBI GENERIS NERVOSI, ID EST, ENCEPHALI, CHORDAE SPINALIS ATQUE NERVORUM.

VI. Apoplexia.

VII. Paralysis
- Hemiplegica.
- Paraplegica.
- Partialis.
- Venenata.

VIII. Hydrocephalus Acutus.

IX. Hydrocephalus Chronicus.
X. Concussio Cerebri.
XI. Epilepsia.
XII. Catalepsia.
XIII. Phrenitis.
XIV. Mania.
XV. Melancholia.
XVI. Amentia.
XVII. Oneirodynia.
XVIII. Tetanus.
XIX. Hydrophobia.
XX. Convulsio.
XXI. Chorea.
XXII. Hysteria.
XXIII. Hypochondriasis.
XXIV. Chlorosis.
XXV. Tremor.
XXVI. Delirium Tremens.
XXVII. Neuralgia.
XXVIII. Morbus Spinae Pottianus.
XXIX. Spina bifida.

MORBI OCULORUM, &c.

XXX. Ophthalmia, ejusque sequelae.
XXXI. Amaurosis.
XXXII. Cataracta.
XXXIII. Strabismus.
XXXIV. Myopia et Presbyopia.
XXXV. Fistula Lachrymalis.
XXXVI. Epistaxis.

MORBI FAUCIUM.

XXXVII. Cynanche.
XXXVIII. Cynanche Laryngea.

XXXIX. Cynanche Trachealis
XL. Cynanche Tonsillaris.
XLI. Cynanche Pharyngea.
XLII. Cynanche Parotidaea.

MORBI PULMONUM.

XLIII. Pneumonia { Pleuritis. / Peripneumonia.
Ejusdem sequelae,
A. Hepatisatio.
B. Abscessus.
C. Empyema.
D. Latex in vias spiritales effusus.
XLIV. Catarrhus.
A. Bronchitis.
XLV. Peripneumonia Notha.
XLVI. Pertussis.
XLVII. Asthma.
XLVIII. Haemoptysis.
XLIX. Phthisis Pulmonalis.
L. Hydrothorax.
LI. Asphyxia.
LII. Gangraena pulmonis.
LIII. Haema-thorax.
LIV. Pneumo-thorax.
LV. Amplificatio cellularum spiritalium.
LVI. Oedema pulmonis.
LVII. Melanosis.

MORBI CORDIS ET MEMBRANARUM.

Quaedam signa morborum cordis { Syncope. / Palpitatio, &c.
Signa omnium communia.
LVIII. Carditis.
LIX. Hydro-cardia.

LX. Hypertrophia.
A. Ventriculi dextri.
B. Ventriculi laevi.
LXI. Amplificatio.
A. Ventriculi dextri.
B. Ventriculi laevi.
LXII. Amplificatio Hypertrophiae adjecta.
LXIII. Mollities Cordis.
LXIV. Valvulae in cartilaginem aut os versae.
A. Mitralis.
B. Aorticae.
LXV. Polypus cordis.
LXVI. Morbi cordis non signis indicati.
LXVII. Morbus coeruleus.
LXVIII. Angina Pectoris.

MORBI QUIDAM ARTERIARUM ET VENARUM.

LXIX. Aneurisma { I. Simplex. II. Scarpianum.
LXX. Aneurisma aortae ascendentis.
..... arcus aortae.
Signa stethoscopica.
LXXI. Aneurisma aortae thoracicae descendentis.
LXXII. Aneurisma aortae abdominalis.
LXXIII. Aneurisma caroticum.
LXXIV. Aneurisma arteriae Poplitaeae.
LXXV. Vitia perperam Aneurismata dicta.
LXXVI. Morbi Glandulae Thyroidaeae.
LXXVII. Inflammatio Venarum.

LXXVIII. Dysphagia.

MORBI VENTRICULI.

LXXIX. Gastritis Phlegmonoidea.
LXXX. Gastritis Erythemoidea.

LXXXI. Gastrodynia.
LXXXII. Pyrosis.
LXXXIII. Dyspepsia.
LXXXIV. Scirrhus Pylori.
LXXXV. Scirrhus Cardiæ.
LXXXVI. Haematemesis.
LXXXVII. Paralysis Ventriculi.

MORBI PERITONAEI ATQUE INTESTINI TENUIORIS ET CRASSIORIS.

LXXXVIII. Peritonitis Acuta.
LXXXIX. Peritonitis Puerperarum.
XC. Peritonitis Chronica.
XCI. Ascites.
XCII. Enteritis Plegmonoidea.
XCIII. Enteritis Erythemoidea.
XCIV. Dysenteria.
XCV. Cholera Communis.
XCVI. Cholera Indica.
XCVII. Diarrhoea { Idiopathica. Colliquativa. Inflammatoria.
XCVIII. Colica { Ileus. Colica Stercorea. ..... Accidentalis. ..... Meconialis. ..... Callosa. ..... Calculosa. ..... Pictonum.
XCIX. Intus-susceptio { Acuta. Chronica.
C. Tympanites { Intestinalis Abdominalis.
CI. Verminatio.
CII. Scirrhus Coli.
..... Recti.
CIII. Haemorrhois.

CIV. Hernia
- Inguinalis.
- Ventro-inguinalis.
- Femoralis.
- Inguinalis interior.
- Congenita.
- Umbilicalis.
- Ventralis.

MORBI JECINORIS.

CV. Hepatitis Acuta.
CVI. Hepatitis Chronica.
CVII. Jecinoris Induratio.
CVIII. Jecinoris Tubercula.
CIX. Jecinoris Hydatides.
CX. Jecinoris Fungus Haematodes.
CXI. Icterus
- Spasmodicus.
- Hepaticus.
- Gravidarum.
- Infantum.
- Calculosus.

CXII. Lienis Morbi.

MORBI INSTRUMENTORUM URINAE.

CXIII. Nephralgia Calculosa.
CXIV. Ureteralgia Calculosa.
CXV. Cystalgia Calculosa.
CXVI. Urethralgia Calculosa.
CXVII. Nephritis.
CXVIII. Nephritis Calculosa.
CXIX. Ischuria Renalis et Ureterica.
CXX. Ischuria Vesicalis et Ureterica.
CXXI. Dysuria.
CXXII. Enuresis.
CXXIII. Haematuria
- Activa.
- Passiva.

CXXIV. Cystitis.

CXXV. Catarrhus Vesicae.
CXXVI. Diabetes Mellitus.

MORBI GIGNENDI INSTRUMENTORUM IN MARIBUS.

CXXVII. Inflammatio Testiculi.
CXXVIII. Hydrocele.
CXXIX. Haematocele.
CXXX. Sarcocele. Vide Sarcoma.
CXXXI. Varicocele, atque
Circocele.
CXXXII. Scirrhus Testiculi.
CXXXIII. Cancer scroti Caminorum mundatoribus infestus.
CXXXIV. Gonorrhoea { Pura. Impura. Mucosa.
CXXXV. Phymosis et Paraphymosis.
CXXXVI. Contractura Urethrae { Spasmodica. Organica.

MORBI INSTRUMENTORUM GIGNENDI MULIERUM.

CXXXVII. Hysteritis.
CXXXVIII. Amenorrhoea { Emansionis. Suppressionis.
CXXXIX. Menorrhagia { Rubra. Abortus. Lochialis.
CXL. Leucorrhoea.
CXLI. Scirrhus et Carcinoma Uteri.
CXLII. Hydrops Ovarii, &c.

MORBI CUTIS.

Ordines.	*Genera.*
PAPULAE,	CXLIII. Strophulus. CXLIV. Lichen. CXLV. Prurigo.

Ordines.	*Genera.*
SQUAMAE,	CXLVI. Lepra.
	CXLVII. Psoriasis.
	CXLVIII. Pityriasis.
	CXLIX. Icthyosis.
EXANTHEMATA	CL. Rubeola.
	CLI. Scarlatina.
	CLII. Urticaria.
	CLIII. Roseola.
	CLIV. Purpura.
	CLV. Erythema.
BULLAE,	CLVI. Erysipelas.
	CLVII. Pemphigus.
	CLVIII. Pompholyx.
PUSTULAE,	CLIX. Impetigo.
	CLX. Porrigo.
	CLXI. Ecthyma.
	CLXII. Variola.
	CLXIII. Scabies.
VESICULAE,	CLXIV. Varicella.
	CLXV. Vaccinia.
	CLXVI. Herpes.
	CLXVII. Rupia.
	CLXVIII. Miliaria.
	CLXIX. Eczema.
	CLXX. Aphthae.
TUBERCULA,	CLXXI. Phyma.
	CLXXII. Verruca.
	CLXXIII. Molluscum.
	CLXXIV. Vitiligo.
	CLXXV. Acne.
	CLXXVI. Sycosis.
	CLXXVII. Lupus.
	CLXXVIII. Elephantiasis.
	CLXXIX. Framboesia.
MACULAE,	CLXXX. Ephelis.
	CLXXXI. Naevus.
	CLXXXII. Spilus.

MORBI TELAE RETICULATAE.

CLXXXIII. Anasarca.
CLXXXIV. Phlegmasia dolens.
CLXXXV. Emphysema.
CLXXXVI. Ecchymosis, Thrombus, &c.

MORBI OSSIUM ET LIGAMENTORUM.

CLXXXVII. Rachitis, atque Mollities Ossium.
CLXXXVIII. Osteo-sarcoma.
CLXXXIX. Fragilitas.
CXC. Exostosis { Eburnea. Syphilitica. Carcinomatosa. Strumosa.
CXCI. Caries.
CXCII. Necrosis.
CXCIII. Podagra { Regularis. Atonica. Retrocedens.
CXCIV. Morbus coxarius.
CXCV. Abscessus Psoanus.
CXCVI. Hydrarthrus.
CXCVII. Anchylosis.

MORBI MUSCULORUM.

CXCVIII. Rheumatismus { Acutus. Chronicus. Irritabilis. Paralyticus.

MORBI GLANDULARUM.

CXCIX. Scrophula { Vulgaris. Mesenterica.

CC. Scirrhus et Carcinoma.

MORBI SEDIS INCERTAE.

CCI. Scorbutus.
CCII. Syphilis.
CCIII. Tubera sacculis inclusa { Meliceris. Atheroma. Steatoma, &c.
CCIV. Sarcoma { Organicum. Adiposum. Pancreaticum. Cysticum. Mastoideum. Tuberculatum. Medullare.
CCV. Fungus Haematodes.
CCVI. Polypus.
CCVII. Tuber lactibus piscium simile.
CCVIII. Hydatis.

DE VENENIS.

CCIX. DE VENENIS RODENTIBUS.
CCX. De Praeparatis ex Arsenico venenatis.
CCXI. De Signis Acido Arsenoso oriundis.
CCXII. De Signis, cadavere secto repertis, morte per Acidum arsenosum illata.
CCXIII. De Ratione, qua Acidum Arsenosum laedit, aut necat.
CCXIV. De Acido Arsenoso post mortem detegendo.
CCXV. De Remediis utendis, ingesto vel admoto Acido arsenoso.

CCXVI. Quaedam de Acido Arsenico ejusque salibus.
CCXVII. Quaedam de Sulphuretis Arsenici.

CCXVIII. DeBichloride hydrargyri, signisque eo ingesto ortis.
CCXIX. De Signis, cadavere secto repertis, morte Bichloride hydrargyri illata.
CCXX. De Ratione, qua Bichlorides hydrargyri necat.
CCXXI. De Bichloride hydrargyri post mortem detegendo.
CCXXII. De Remediis utendis.

CCXXIII. De Oxydis hydrargyri rubris, eorumque actione exitiosa.

CCXXIV. De Antimonio ejusque salibus venenando aptis, signisque inde exortis.
CCXXV. De Signis, cadavere secto, detegendis.

CCXXVI. De Ratione, qua Tartras antimonii laedit et necat.
CCXXVII. De Tartrate antimonii post mortem detegendo.
CCXXVIII. De Remediis utendis.

CCXXIX. Quaedam de Salibus cupreis.
CCXXX. De Signis Sulphate cupri, pro veneno sumpto, exortis.
CCXXXI. De Signis, cadavere patefacto, detegendis.
CCXXXII. De Ratione qua Sulphas cupri laedit.
CCXXXIII. De Sulphate cupri detegendo.
CCXXXIV. De Remediis utendis.

CCXXXV. Quaedam de Stanno, ejusdemque Muriate.

CCXXXVI. De Zinco, ejusque Sulphate.
CCXXXVII. De Signis alicujus Sulphate zinci venenati.
CCXXXVIII. De Signis, cadavere secto, repertis, venenandique ratione.
CCXXXIX. De Sulphate zinci detegendo.
CCXL. De Remediis utendis.

CCXLI. Quaedam de Argento, ejusdemque Nitrate; eorumque potestate exitiosa.
CCXLII. De Nitrate argenti detegendo.
CCXLIII. De Remediis utendis.

CCXLIV. De Acidis acrioribus.
CCXLV. De Acido Sulphurico.
CCXLVI. De Signis Acido sulphurico ingesto ortis.
CCXLVII. De Signis cadavere secto repertis.
CCXLVIII. De necandi ratione.
CCXLIX. De Acido sulphurico detegendo.
CCL. De Remediis utendis.

CCLI. De Acido Nitrico.
CCLII. De Signis Acido nitrico, ingesto ortis.
CCLIII. De Signis, cadavere secto, repertis.
CCLIV. De Ratione, qua Acidum nitricum necat.
CCLV. De Acido nitrico detegendo.
CCLVI. De Remediis utendis.

CCLVII. De Acido Muriatico.
CCLVIII. De Signis Acido muriatico ingesto ortis, &c. &c.
CCLIX. De Acido muriatico detegendo.
CCLX. De Remediis utendis.

CCLXI. De Acido Oxalico.
CCLXII. De Signis, Acido oxalico ingesto ortis, atque post mortem repertis.
CCLXIII. De nocendi ratione experimentis jam dictis deducenda.
CCLXIV. De Acido oxalico detegendo.
CCLXV. De Remediis utendis.

CCLXVI. De Aquae bullientis actione venenifera.

CCLXVII. Quaedam de Plumbo igne liquefacto.

CCLXVIII. De Alkalibus.
CCLXIX. De Potassa, salibusque ejus, venenandi potentibus.
CCLXX. De Signis Potassa ejusve salibus ingestis oriundis.
CCLXXI. De Signis, cadavere secto, repertis.
CCLXXII. De Potassa ejusque salibus detegendis.

CCLXXIII. De Remediis utendis.
CCLXXIV. Quadam de Soda.
CCLXXV. De Ammonia ejusque subcarbonate.
CCLXXVI. De Signis ammonia, vel ejus subcarbonate ingesto, natis.
CCLXXVII. De Ammonia detegenda et debellanda.

CCLXXVIII. De Calce, signisque ea ingesta ortis.
CCLXXIX. De Malis cadavere introspecto repertis, nocendique ratione.
CCLXXX. De Calce detegenda
CCLXXXI. De Remediis utendis.

CCLXXXII. De Barita, ejusque salibus venenandi potentibus.
CCLXXXIII. De Signis Barita ejusve Muriate exortis, vitiis homine mortuo repertis ; atque venenandi ratione.
CCLXXXIV. De Barita detegenda.
CCLXXXV. De Remediis.

CCLXXXVI. DE VENENIS ADSTRINGENTIBUS.
CCLXXXVII. De Signis quae praeparatis ex Plumbo ingestis enascuntur.
CCLXXXVIII. De Signis, cadavere secto, repertis.
CCLXXXIX. De laedendi ratione.
CCXC. De detegendi ratione.
CCXCI. De Remediis.

CCXCII. DE VENENIS ACRIBUS.
CCXCIII. De Cantharidibus.
CCXCIV. De Signis Cantharidibus ingestis ortis.
CCXCV. De Signis post mertem repertis, laedendique ratione.
CCXCVI. De Veneno detegendo, atque curatione idonea.

CCXCVII. De Phosphoro.
CCXCVIII. De Signis ingesto Phosphoro ortis.

CCXCIX. Pauca de Venenis Mechanicis.

CCC. De Venenis Acribus, quae terra nata praebent.
CCCI. De Gummi-resina Stalagmitidis gambogioidis.

CCCII. Quaedam de Veratro albo.
CCCIII. Quaedam de Helleboro nigro.
CCCIV. De Helleboro foetido.
CCCV. De Succo Momordicae Elaterii.
CCCVI. De Medulla fructus Cucumeris Colocynthidis.
CCCVII. De Gummi-resina Euphorbiae officinarum.
CCCVIII. Quaedam de Junipero Sabina.
CCCIX. De Aconito Napello.

CCCX. De Nitrate Potassae.
CCCXI. De Signis Nitrate potassae ortis.
CCCXII. De Notis cadavere patefacto repertis.
CCCXIII. De Nitrate potassae detegendo.

CCCXIV. DE VENENIS NARCOTICIS.
CCCXV. De Opio.
CCCXVI. De Signis Opio largius ingesto exortis.
CCCXVII. De Notis, cadavere introspecto, repertis.
CCCXVIII. De laedendi ratione.
CCCXIX. De Opio detegendo.
CCCXX. De Curatione idonea.

CCCXXI. De Acido Hydro-cyanico Oleoque Amygdali amarae.
CCCXXII. De Malis Acido hydro-cyanico ortis.
CCCXXIII. De Notis cadavere secto repertis.
CCCXXIV. De laedendi ratione.
CCCXXV. De Acido hydro-cyanico detegendo.
CCCXXVI. De Remediis utendis.

CCCXXVII. De Nicotiana Tabaco.

CCCXXVIII. De Signis Nicotiana Tabaco ingesta ortis.
CCCXXIX. De Notis, secto cadavere repertis, atque laedendi ratione.
CCCXXX. De Nicotiana Tabaco detegendo, et remediis utendis.

CCCXXXI. De Digitali Purpurea.

CCCXXXII. De Atropa Belladonna.
CCCXXXIII. De Signis Atropa Belladonna ingesta ortis.
CCCXXXIV. De Notis, cadavere secto, inventis.
CCCXXXV. De laedendi ratione.
CCCXXXVI. De Atropa Belladonna detegenda.
CCCXXXVII. De Remediis utendis.

CCCXXXVIII. De Hyoscyamo Nigro.
CCCXXXIX. De Datura Stramonio.
CCCXL. De Conio maculato.
CCCXLI. De Strychno Nuce Vomica.
CCCXLII. De Coculo Indico.

CCCXLIII. De Agaricis.
CCCXLIV. De Notis, quae agaricis perniciosis ingestis enascuntur.
CCCXLV. De Notis cadavere secto inventis.

CCCXLVI. De Alcohole.
CCCXLVII. De Signis Alcohole largius ingesto ortis.
CCCXLVIII. De Signis, cadavere patefacto, inventis.
CCCXLIX. De laedendi ratione.
CCCL. De Remediis utendis.

CCCLI. DE VENENIS, QUAE ANIMALIA PRAEBENT.

CCCLII. De Veneno Colubri.
CCCLIII. De malis, quae coluber mordendo affert.

CCCLIV. De laedendi ratione.
CCCLV. De Remediis.

CCCLVI. Quaedam de Venenis Vesparum Apiumque propriis.
CCCLVII. De venenandi potestate, qua carnes putridae, &c. praeditae sunt.

CCCLVIII. De Piscibus venenando aptis.
CCCLIX. De Signis, quae piscibus venenando aptis enascuntur.
CCCLX. De Natura et Origine veneni piscium proprii.

CCCLXI. DE VENENIS AËRIIS, SIVE PER AËRA VOLITANTIBUS.

CCCLXII. De Venenis aëri quasi innatantibus.
CCCLXIII. De vi exitiosa Hydrargyri in vaporem conversi.
CCCLXIV. De Remediis utendis.

CCCLXV. De Gasi Hydrogenio Sulphurato.
CCCLXVI. De Signis Hydrogenio sulphurato adhibito exortis.

CCCLXVII. De Gasi Hydrogenio Carbonato.
CCCLXVIII. De Malis hydrogenio carbonato accepto ortis.

CCCLXIX. De Chlorino.

CCCLXX. De Gasi Acido Sulphuroso.

CCCLXXI. De Miasmate atque Contagio.

MORBORUM DEFINITIONES,

&c. &c.

I. FEBRES.

FEBRES sunt duplicis generis,	I. Miasmate ortae,	*a.* Intermittentes, atque Remittentes.		
		b. Febris flava.		
	II. Contagio aliunde-ve ortae,	Febres continuae,	*a.* Typhus	Quarum alter-utra est, *x.* Simplex. *y.* Inflammatoria. *z.* Congestiva.
			b. Typhus pestifera,	

FEBRES.

DEFINITIO.—Praegressis languore et artuum horrore, pulsus arteriarum crebri, calor aequo major: atque citra morbum alicujus partis priorem, functiones omnes laesae.

FEBRIS INTERMITTENS.

DEFINITIO.—Febris MIASMATE orta, PAROXYSMOS atque INTERMISSIONES plures vicibus alternis exhibens; *paroxysmo* quovis die unico fere tantum.

Paroxysmus est febris ipsius accessio, ex *horrore*, *ardore* atque *sudore* composita.

Intermissio est *apyrexia*, id est, spatium temporis, quod ab uno *paroxysmo* finito ad proximum ineuntem pertinet.

Intervallum paroxysmum atque *intermissionem* complectitur.

Febris Intermittens est
- Tertiana.
- Quartana.
- Quotidiana.
- Tertiana duplex, &c.

TERTIANA.—DEFINITIO. *Paroxysmi* inter se consimiles, *intervallo* quadraginta octo circiter horas durante: accessionibus meridianis.

QUARTANA.—DEFINITIO. *Paroxysmi* inter se consimiles; *intervallo* septuaginta circiter duas horas durante: accessionibus vespertinis.

QUOTIDIANA.—DEFINITIO. *Paroxysmi* inter se consimiles, *intervallo* viginti quatuor circiter horas durante: accessionibus matutinis.

TERTIANA DUPLEX.—DEFINITIO. *Paroxysmi* quotidiani; sic ut *Paroxysmi* dierum parium, id est II^{ndi}, IV^{ti}, &c. inter se consimiles sint; imparium quoque, id est III^{tii}, V^{ti}, &c. inter se consimiles: hi vero illis dissimiles.

Nec desunt aliae varietates, quas memorare vix operae pretium duco.

SIGNA PAROXYSMI.

Horror.—Vires animi et corporis languent: cutis summa est arida, constricta, pallida, et quasi collapsa: inhorrescunt artus, corpore simul praeter naturam calente. Caput, dorsum, lumbique dolent: modo delirium urget. Re-

spiratio est crebra et difficilis: arteriae crebrius et languide saliunt: vexant sitis, nausea, vomitus: alvus tarda est: urina pallida atque parca: secernenda et excernenda omnia secerni et excerni cessant.

Ardor.—Demum horror in ardorem desinit: cutis fit rubra, turgida; adhuc aret: vires minus languent: perstant dolores: vultus admodum rubet: modo aeger delirat. Respiratio facilior fit: pulsus arteriarum pleniores: secernenda et excernenda, ut antea, non secernuntur et excernuntur. Urina rufa est et parca.

Sudor.—Tandem sudor per totum corpus erumpit: sitis abit: nausea et vomitus quiescunt: alvus saepe descendit: urina fluit multa et crassa: functiones redintegrantur, languore sane superstite.

FEBRIS REMITTENS

non nisi gradu Intermittenti distat; nimirum acerbior est: finito scilicet *paroxysmo*, quaedam febris signa perstant: unde, spatium temporis, quod a *paroxysmo* desinente, ad ineuntem proximum pertinet, *Remissio*, non *Intermissio* vocatur.

FEBRIS FLAVA.

Definitio.—Febris ardentissima, cum notis cerebri vel ventriculi, vel utriusque, inflammati sociata: deinde, biduo scilicet, seriusve ocyus, vomitus naturae atrae, cutis flava, *petechiae*, delirium, stupor, aliaque sanguinis, fabricam, dissoluti, viriumque lapsarum indicia.

Haud dubitavi *Febrem flavam* inter febres *miasmate* genitas recensere, Bancroftio aliisque claris viris confisus, eandemque Febri Intermittenti, qualis in Europa grassatur, discrepare existimo, ob causas plures *moderatrices*,

praesertim, coelum ardens Indiae Occidentalis proprium, victumque lautiorem, quo Europaei huc advecti uti solent.

FEBRES CONTINUAE.

Res est medicis notissima *Synocham* Cullenianam per se nunquam inveniri; nec nisi, inflammatione aliove morbo acuto praesente, aggredi posse: *Typhum* porro Cullenianam nullubi per se reperiri posse: eandem scilicet, partem esse secundam *Synochi*. Abjecta igitur distributione Febrium Continuarum Culleniana, Febres Continuas unius esse generis propono; *Typhum*que eas nomino. Qua voce usus idem genus adversae valetudinis significo, quod CULLENUS vocat *Synochum*.

TYPHUS.

DEFINITIO.—Post horrorem et languorem calor multum auctus, pulsus arteriarum crebri, pleni, interdum duri; secernenda et excernenda suppressa: deinde pulsus debiles, cerebri actio turbata; vires multum labefactatae.

TYPHUS SIMPLEX.—DEFINITIO. Febris continua, inflammationem partis interioris acutam vel subacutam non accensura.

TYPHUS INFLAMMATORIA.—DEFINITIO. Febris continua, inflammationem acutam vel sub-acutam alicujus viscerum accensura.

TYPHUS CONGESTIVA.—DEFINITIO. Febris continua summa virium resolutione stipata; quae ardorem prohibet, congestionemque summam omnium venarum gignit.

SIGNA TYPHI SIMPLICIS.

a. Initio aeger animo et corpore languet: horror membra percurrit: pulsus arteriarum frequentes sunt et exiles: Respiratio aequo crebrior: secernenda et excernenda parum secernuntur et excernuntur: lingua sordet: sitis, nausea et vomitus torquent: vultus demissus pallet aut squalet; oculique hebescunt: huc accedunt gravitas circa praecordia, capitisque dorsi et artuum dolores.

b. Biduo triduove exacto, seriusve aut ocyus, superveniunt omnia fere signa, qualia *ardorem* febris intermittentis constituunt (Vide p. 19.): haec vero aliquot dies perstant; graviora vesperi, mane inclinata.

c. Demum vires insigniter dilabi ostendunt pulsus arteriarum creberrimi atque exiles: respiratio languida et crebrior, calor multum imminutus atque delirium.

Quod si febris gravior sit, praeter has notas virium lapsarum, aeger supinus cubat, et ad lectum imum assidue labitur: cutis sudore gelido humet: homo delirat, loquendi et vorandi pene impotens: lingua sordet: interdum alvus et urina animi injussu fluunt: tremores et subsultus tendinum accedunt: quae mala persaepe morte finiuntur.

d. Si febris levior sit, et curatio idonea, notae meliores sequuntur, in salutem desiturae: nempe, pulsus tardiores et pleni, respiratio facilior: sitis inclinata, lingua madida et nitida, cibi desiderium recidivum, sudor lenis, urina multa et crassa.

SIGNA TYPHI INFLAMMATORIAE.

Omnia signa *Typhi simplicis* (*a*, *b*, *c*, *d*, p. 21.), vehementiora urgent.

Si membranae cerebri inflammantur, signis ardoris (*b*, p. 21.) adjiciuntur dolor capitis insignis, vultus ruberrimus; aures sonantes: oculi corusci: delirium ferox: vigilia nocturna. Dein signa mala (*c*, p. 21.) cito sequuntur: cutis simul *petechiis* efflorescit: pupillae non luce contrahuntur,

coecitasque aut *muscae volitantes* accedunt: lingua nigrescit: artus convelluntur: demumque mors supervenit. Interdum *apoplexia* aegrum absumit. Membrana *mucosa* pulmonis, ventriculi et intestinorum, necnon *Pleura* et *Peritonaeum* non raro inflammantur: quorum malorum propria signa cum *typhi* notis sociantur.

SIGNA TYPHI CONGESTIVAE.

Typhus congestiva a *Simplici* et *Inflammatoria* eo discrepat quod signa ardoris (*b*, p. 21.) et inflammationis (p. 21.) desunt: vires maxime languescunt; *Petechiae*que, et alia signa mala (*c*, p. 21.) citius apparent, et graviora sunt.

Typhus pestifera.—Definitio. Typhus gravissima, bubonibus vel carbunculis demum incerto die erupturis.

Typhus Pestifera, *typhi* instar, vel *Simplex* est, vel *Inflammatoria*, vel *Congestiva*.

II. DE INFLAMMATIONE.

INFLAMMATIO.

Definitio.—Partis dolor, calor auctus, necnon si cuti proxima sit, fere rubor, tensio atque tumor.

Inflammatio sede variat; adoriri potest,

A. Telam reticulatam.
B. Membranas serosas.
C. Cutem veram (vide Erythema et Erysipelas).
D. Membranas mucosas.
E. Musculorum fascias atque fibras (vide Rheumatismum).
F. Articulorum capsulas (vide Podagram).

A. *Inflammatio telae reticulatae*, id est, *Phlegmone*.—Definitio. Partis rubor, ardor, tensio, tumor margine definito circumscriptus: dolor *pulsatilis*.

Digitis extimis infesta, ibique ad fascias et *periosteum* serpens *Paronychia* vocatur.

Eventus sunt,

a. Resolutio.—Definitio. Inflammatio sensim inclinata, integra partis fabrica.

b. Effusio seri aut fibrinae.

c. Suppuratio, id est, Abscessus, vel capsula pure referta.—Definitio. Post inflammationem, mitescentibus dolore et *pulsatione*, tumor albescens, mollis, fluctuans, pruriens.

d. Exulceratio.—Definitio. Secretio humoris acris, purisve mali, vasa absorbentia proxima cientis; quo fit, ut partes vicinae exedantur, sive absorbeantur.

e. Granulatio.—Definitio. Ea actio, qua abscessus ruptus, ulcus aut pars vulnerata *fibrina* secreta tegitur, initio aequali, dein nodis exiguis rubris et tenerrimis aspera: quos, si cutis renata tegit, *cicatrix* fieri dicitur.

f. Gangraena.—Definitio. Post inflammationem, pars livens, mollis, sensus pene expers; saepe *bullas* sanie refertas exhibens. Virium concidentium fere notae.

N. B.—Gangraena, citra inflammationem praegressam adoriri potest: ob frigus quaesitissimum, valetudinem senio aliundeve infirmatam; aut vitia arteriarum sanguinis motum impeditura.

g. Sphacelus.—Definitio. Post gangraenam pars nigricans, flaccida, dilaceratu facilis, sen-

sus et caloris expers, graveolens: vitio celeriter serpturo.

B. *Inflammatio membranae serosae*, vocatur *Phlegmonoidea*, eo quod *Phlegmonen* haud parum refert: membranae enim *serosae* ex tela reticulata densata constant. Signis inflammationis (p. 22.), rubore excepto, ob sedem altam, aliisque ad partis affectae actionem impeditam referendis, indicatur. Hae membranae inflammatae densae, asperae et opacae fiunt: *fibrina*que *organica* secreta saepe praeter naturam cohaerent.

D. *Inflammatio membranae mucosae*, vocatur *Erythemoidea*; quippe quae *Erythema*, sive inflammationem cutis verae quodammodo simulat. Membrana *mucosa* inflammata crassior fit et rubrior, atque spongiosa: initio sicca, denuo plus aequo humoris secernit, prius tenuis, dein spissi et acrioris, ipsi puri simillimi.

Inflammatio pro ratione aetatis atque virium variat: si juvenes et validos tentat, *Acuta*, si debiles et senes, *Chronica*, appellatur.

III. FEBRIS HECTICA.

Febrem Hecticam inter Febres proprie dictas eo recensere nolo; quod alio morbo praegresso fere semper nititur: quod, secus atque *febres*, actionem cerebri et ventriculi parum laedit: sudor porro, quem movet, nunquam est *criticus* aut salutaris.

Definitio.—Febris Remittens, cui sunt quotidie binae accessiones; meridiana levior; vespertina gravior, ex horrore, ardore atque sudore nocturno composita; urina simul copiosa et crassa, ex qua decidit rufum; remissione matutina secutura.

SIGNA FEBRIS HECTICAE.

Horror.—Initio, praesertim accessionis vespertinae, corpus inhorrescit, cutis pallida et collapsa aret, et praeter naturam calet, etsi aeger sibi frigere videatur: secernenda et excernenda parum secernuntur et excernuntur, pulsus sunt crebri et exiles; nec vero animus contristatur.

Ardor.—Tandem, finito horrore, ardoris sensus omnia membra percurrit, praesertim manus et pedes; vultus rubore saturrimo floret, praesertim genae mediae; ut antea, secernenda et excernenda non profluunt: arteriae concitantur: mens inter haec serena est, vel hilaris; atque ventriculus officio multo saepius rite fungitur; certeve parum laborat.

Sudor.—Bihorio circiter post mediam noctem, corpus sudore diffluere coepit; prius circa frontem et cervicem; dein reliquas partes. Sudori accedit urina multa, crassa, ex qua cadit quasi furfur rufus.

Febris Hectica variat pro causa; prout scilicet accendatur,

a. Pure aliove succo acri et vitioso absorpto: vel
b. Humoribus circumfluentibus, citra ulcus, vitiosis: vel
c. Acribus canali alimenti infixis.

IV. FEBRIS REMITTENS INFANTUM.

Definitio.—Infantibus quinque vel sex annos natis citra *hydrocephali acuti* aut *verminationis* propria signa, crebrae accessiones hisce notis indicatae; scilicet, capitis dolore, ardore, inquietudine, somno turbato, arteriis concitatis, respiratione difficili et crebra, dormiendi cupiditate assidua, cibi fastidio, dejectionibusque atris atque graveolentibus.

V. PYREXIA.

N. B.—Hac voce usus idem significari volo, quod CULLENUS, inter *Phlegmasias* definiendas.

DEFINITIO.—Post horrorem, animique et corporis languorem, calor ingens, arteriae concitatae, secernenda et excernenda suppressa.

MORBI GENERIS NERVOSI,

ID EST,

ENCEPHALI, CHORDAE SPINALIS, ATQUE NERVORUM.

VI. APOPLEXIA.

DEFINITIO.—Motus musculorum, qui animi jussu agunt, atque sensus, imminuti vel deleti: superstitibus respiratione motuque cordis et arteriarum.

SPECIES sunt,

a. SANGUINEA,—e sanguine intus profuso orta.

b. SEROSA,— e sero intus profuso orta.

c. TRAUMATICA,—ex icto capite, unde pars calvariae scissa intus truditur, aut cruor intus profunditur, aut utrumque horum accidit.

N. B.—Parum utile est has duas *species*, *Sanguineam* atque *Serosam* agnoscere: haud raro enim, homine jam spirante, invicem discerni nequeunt: siquidem

interdum cruor *leucophlegmaticis*, serum validis et sanguine plenis intra *encephalon* funditur.

CAUSA CONTINENS.—Cerebrum oppressum.

SIGNA.

Praegressis fere vertigine, capitis dolore, auribus sonantibus, caligine, mente laesa, interdum altero oculorum ampliato et cujusvis articulorum torpore:

Homo derepente concidit, motu sensuque orbatus: vultus fere rubet et turget; quod tamen perpetuum non est: pupillae oculorum non luce contrahuntur. Aeger stertit: respiratio est difficilis atque tarda; pulsus arteriarum tardi, et saepius validi sunt.

SIGNA APOPLEXIAE GRAVIORIS.—Si morbus gravior sit, praesertim *Apoplexia Traumatica*, huc accedunt unum latus *paralysi* solutum, alterum convulsum; nec raro resolutio linguae, gulae et *sphincterum;* unde loquendi, vorandi, urinamque et stercus retinendi difficultas nascitur. Pulsus inter haec non raro citissimi sunt.

VII. PARALYSIS.

DEFINITIO.—Motus atque sensus alicujus partis imminuti vel deleti; cum vel sine sopore.

SPECIES.

HEMIPLEGICA,—dimidiae partis corporis a capite usque ad calcem; saepius sinistrae: signis *apoplexiae* gravioris saepe accessuris.

SIGNA HEMIPLEGIAE.

Pars dimidia corporis, saepius laeva, a capite ad calcem usque sensu motuque pene destituitur. Partes affectae marcent, et saepius frigent: arteriae lateris affecti tardius et exilius, quam sani micant. Os, lingua aliaeque partes

mota, ad sanum latus inclinantur; lingua profecto subinde ad latus affectum. Loquendi difficultas exercet.

Si accessio gravior sit, his signis adjiciuntur alterius lateris convulsio, sentiendi facultas pene deleta: vis loquendi et glutiendi nulla; urina porro et stercus, *sphincteribus* solutis, animi injussu, elapsa. Quae hominem in praecipiti esse testantur.

PARAPLEGICA,—artuum inferiorum, et persaepe viscerum pelvis.

PARTIALIS,—cujusvis articulorum.

VENENATA,—a venenis. Vide *Colicam* Pictonum.

VIII. HYDROCEPHALUS ACUTUS.

DEFINITIO.—Apud infantes atque impuberes, initio *pyrexia*, sive febricula, oculi lucis intolerantes, pulsus crebri et duri, vomitus alvusque pertinax:

Deinde pupillae dilatatae, pulsusque tardiores, debiles et inaequales:

Tandem pulsus citissimi, sensus pene deleti, artuum convulsio, aliaeque notae, quales *Apoplexiam* graviorem insigniunt. (Vide Apoplexiam).

CAUSA CONTINENS.—Cerebri inflammatio, sive incitatio sui similis, in seri profusionem abitura.

SIGNA HYDROCEPHALI ACUTI.

a. Inter initia, febricula, languor et anxietas vexant. Vultus rubet: somni turbantur: aeger saepe dentibus frendet noctu: oculi lucis, aures soni parum sunt patientes: pupillae arctius solito lumine contrahuntur: Dolor capitis acerbus torquet, vel sincipiti, vel occipiti, vel aliis partibus infixus: arteriae multum concitatae cxx^ies aut cxxx^ies mi-

cant, quaque LX^ma horae parte. Aeger cibos non appetit, sumptosve crebro evomit. Alvus tarda non nisi parcum olidum, foetidum et subatrum, idque, aegerrime, excernit.

b. Paucis diebus exactis, aeger plus minusve stupet: pupillae dilatatae non luce coarctantur, *strabismo* simul haud raro ludente. Spiritus fit difficilior: modo aeger inter anhelandum stertit: pulsus arteriarum fiunt tardiores, languidi, inaequales, circiter LXXX intra partem horae LX^mam. Dolor capitis, alvique tarditas perstant: neque vomitus quiescit.

c. Biduo triduove elapso, stupor ingravescit, eo ut aeger facultate videndi et audiendi destituatur. Pulsus fiunt creberrimi et exilissimi; interdum sane CL aut CC. Saepe musculi lateris unius convelluntur, altero *hemiplegia* soluto. Vomitus cessat: pauloque ante mortem vis glutiendi, vocitandi, atque urinam et stercus retinendi, deficit.

IX. HYDROCEPHALUS CHRONICUS.

DEFINITIO.—Caput amplificatum: ossa calvariae molliora: suturae fere invicem disjectae: signis apoplexiae plus minusve urgentibus.

CAUSA CONTINENS.—Ingens seri copia inter cerebri membranas, atque intra ejusdem ventriculos fusa, ipso cerebro extenso, non absorpto.

X. CONCUSSIO CEREBRI.

DEFINITIO.—Post ictum aut lapsum ex alto, nec alia injuria oculis patente, scapellove detegenda; motus et sensus subito imminuti, vultus pallidus, pupillae justo ampliores, at luce paululum coarc-

tatae, respiratio pulsusque arteriarum vel naturales, vel citiores et languidissimi, homine non stertente: Deinde (ni mors prius supervenerit), signa cerebri inflammati, in *apoplexiam* saepe desitura.

XI. EPILEPSIA.

DEFINITIO.—Musculorum omnium convulsio, sensusque pene deleti.

SPECIES.

CEREBRALIS,—e cerebri vitio: subito aggredi solita, praegressa vertigine sive caligine.

SYMPATHICA,—sine causa manifesta, praegressa *aura epileptica.*

OCCASIONALIS,—ob irritamenta: qualia sunt dolor, *verminatio,* cutis deflorescens, cruditas ventriculi, animi motus, cursus sanguinis copiosior.

SIGNA.

Praegressis interdum capitis dolore, vertigine, scintillis aut muscis oculos circumvolare apparentibus, *strabismo* vel aura *epileptica;* aeger, edito fere clamore, concidit: pupillae non luce coarctantur, certeve immotae manent; vultus oculique distorquentur; os spumat: modo lingua extrusa a dentibus laceratur: spiritus aequo crebrius trahitur et emittitur: pulsus arteriarum sunt frequentes et abnormes; aliquando urina et stercus, animi injussu, elabuntur, peneque intento, semen projicitur. Demum exacto horae quadrante, sive parte dimidia, convulsio in somnum abit; quo finito, aeger revalescere videtur. Quidam sane, accessione jam praesente, strangulantur, aut in *apoplexiam* lethalem incidunt.

XII. CATALEPSIA.

DEFINITIO.—Sensus imminuti vel deleti: artus simul flexiles, atque ad quemvis novum situm retinendum apti.

XIII. PHRENITIS.

DEFINITIO.—Pyrexia vehemens: dolor capitis immanis: sensus acutiores: oculi lucis, soni aures parum tolerantes: oculi corusci, vultus ruber: Delirium ferox; vel, si cerebrum ipsum praesertim inflammatur, *Typhomania;* id est, delirium cum stupore.

IDIOPATHICA,—nulli alii morbo praegresso debita.

SYMPTOMATICA,—quam *typhus* accendit, quaeve cutem deflorescentem sequitur.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio cerebri vel ejus membranarum.

XIV. MANIA.

DEFINITIO.—Citra pyrexiam, percipiendi facultas vitiosa; id est, vera pro fictis, ficta pro veris ducta, atque existentia aliter atque se habent, judicata; vires artuum auctae; sensusque acutior, integritatibus saepe interjectis.

SPECIES.

MENTALIS,—a mente vehementer perturbata.

CORPOREA,—a vitio corporis evidente.

OBSCURA,—causa latente.

XV. MELANCHOLIA.

DEFINITIO.—Facultas percipiendi vitiosa: saepe cum moerore: citra dyspepsiam.

XVI. AMENTIA.

DEFINITIO.—Facultas percipiendi, reminiscendi atque judicandi laesa vel deleta.

SPECIES.

CONGENITA,—quae cum homine nascitur.

SENILIS,—senio orta.

ACQUISITA,—causis exteris orta.

XVII. ONEIRODYNIA.

DEFINITIO.—Inter dormiendum, vis imaginandi aut vehementior, hominem ad ambulandum, motusque varios abnormes impulsura: aut molesta, sensum ponderis in pectus incumbentis excitatura.

XVIII. TETANUS.

DEFINITIO.—Musculorum plurium vel omnium *spasmus tonicus*, id est, rigor sive contractio abnormis, animi injussu.

Variat sede: vocatur

OPISTHOTONOS,—si musculi, quorum est truncum extendere, affecti, corpus retrahunt:

EMPROSTHOTONOS,—si musculi trunci antici rigentes corpus prorsum flectunt:

PLEUROSTHOTONOS,—si musculi alterius lateris affecti faciunt ut corpus ad idem inclinetur.

TRISMUS,—si musculi, quorum est maxillam inferiorem attollere, rigentes maxillas immotas figunt.

SPECIES sunt,

a. NASCENTIUM, tenellos, vixdum duas hebdomadas natos invadere solitus, ob *meconium* retentum, funemve *umbilicalem* male curatum.

b. TRAUMATICUS,—vulnere aut coeli vicissitudine ortus.

SIGNA.

TETANUS modo subito, alias pedetentim invadit. Initio sensus angoris et gravitatis ad praecordia relatus torquet, fauces imaque pars linguae plus minusve dolent: pars cervicis postica et humeri nunc rigent; eo ut caput fixum ad neutrum latus inclinari possit. Dolor ab osse pectoris ad spinam dorsi fertur, non assiduus; rigoris insignis musculorum, qui cervicem et truncum erigunt, praenuncius; maxillis nunc immotis, aegro loqui cibumque et potum sumere non licet. *Spasmi* variant: modo caput scapulis, alias mentum ossi pectoris admovent; alias cervicem porrectam tendunt: modo corpus tantum retrahitur, ut homine jacente, truncus arcum repraesentet, non nisi occipite, pedumque calcibus humo affixis. Haec mala vicissim quiescunt et repetunt. Functiones cerebri parum turbantur. Pulsus arteriarum sunt plerumque tardi et exiles: Respiratio difficilis et abnormis. Secernenda et excernenda pene supprimi solent: nisi quod cutis sudore glutinoso madet.

XIX. HYDROPHOBIA.

DEFINITIO.—Post morsum ab animali rabido illatum, serius ocyus, animi languor et moeror: deinde, *pyrexia*, doloris, ardoris et angoris sensus ad fauces relatus: liquoris cujuslibet fastidium, qui conspectus, agitari auditus, vel ori adhibitus, convulsionem *pharyngis* dolentissimam movet: sensus praeter naturam acuti, citra delirium: demum totius corporis convulsio strangulatura.

SIGNA.

Pars morsa primo sanescit; dein serius ocyus, modo diebus paucis, alias hebdomadis multis exactis, sua sponte rubet et dolet: dolor, ardor et pruritus e parte morsa exorsi ad vasa *lymphatica* proxima feruntur: nec multo postea, signa valetudinis turbatae nascuntur. Nec vero notae jam dictae perpetuae sunt.

Demum homo tristis animumque demissus suos fugit, cibos fastidire coepit; noctu vigilat, summumque languorem atque molestiam conqueritur.

Tandem signa generis nervosi quam maxime concitati accedunt. Oculos lumen, sonus aures, offendit. Pupillae praeter naturam, luce admota, coarctantur. Vultus turget et rubescit: oculi rutili nitent: sitis torquet impatibilis: quod si aeger aquam aliumve liquorem conspicit, exagitatam audit, vel glutire nititur; momento temporis convulsio dira *pharyngis* et gulae fibras torquet, miserque simul ab liquore abhorret. Os saliva scatet: mordendi cupiditas fere exercet. Angor vix patibilis faucium et pectoris vexat: dolorque saepe in os pectoris imum incumbit. Cor admodum palpitat: arteriae crebrius et durius, quam fert natura, moventur. Spiritum nervorum distentiones

impediunt. Quamvis sentiendi facultas multum acuitur, homo tamen raro delirat: id est, omnium rerum circumjectarum sibi conscius est. Denuo repente fere absumitur, actionibus vitalibus convulsione impeditis. Interdum haecce mortem antecedunt, mens delapsa, os hians, vox rauca et terribilis, motus arteriarum imbecilli; caligo; pupillae praeter naturam patentes; risusque dirus SARDONICUS.

N. B.—Quamvis non ignoro *pharyngem*, gulam et *laryngem*, *Hydrophobia* vexatis graviter inflammari; eam tamen inter harum partium morbos recensere nolo: siquidem cadaveribus introspectis, universum genus nervosum quam maxime concitari docemur.

XX. CONVULSIO.

DEFINITIO.—*Spasmus clonicus;* id est, musculorum contractiones breves, crebrae atque abnormes, animi injussu: citra soporem; saepius, apud infantes atque puerperas.

Variat, apud infantes pro causa: prout nascatur,

a. Ex irritamentis meatui alimenti infixis.

b. Ex cute deflorescente.

c. Ex vitio cerebri: quoties hinc oritur notae cerebri oppressi cum ea sociari solent.

XXI. CHOREA.

DEFINITIO.—Convulsio musculorum, praesertim, unius lateris, citra soporem, atque fere assidua; saepius impuberes aggressura: motus artuum ab-

normes et ridiculi, quales histriones exhibent: inter ambulandum, alterum crurum, nempe, lateris magis affecti, trahi, non attolli solitum.

SPECIES.

a. CEREBRALIS,—e vitio cerebri orta: vitam integram mansura, immedicabilis; causa latente.

b. ACCIDENTALIS,—ex irritamentis meatui alimenti inhaerentibus.

SIGNA.

Praegressis artuum torpore, languore, frigore; nec raro gravitate circa praecordia, cordis palpitatione, auribus sonantibus, vertigine, atque ventriculi et intestini actione hebete:

Convulsio abnormis, suique similis accedit: inter gradiendum, homo crurum alterum trahit, non attollit. Musculi omnes ejusdem lateris admodum velluntur; adeo ut aegro, non nisi pluribus nisubus frustra editis, cibum potumve ori admovere liceat. Mens inter haec hebescit; loquendi et vorandi difficultas urget: aeger cibi appetentior et edacior fit, quam fert natura: alvus pigra est: dejectiones graveolent; tandem vires insigniter ruunt. Demum si aeger juventa et bona corporis indole gaudet, mala omnia, annis increscentibus, sensim mitescunt, et serius ocyus abeunt: quod si vitiosa cerebri fabrica, aliave noxa abdita, nulla arte subducenda, adsit; vitam integram perseverare consuerunt, in *epilepsiam*, aut mentem fatuam desitura.

XXII. HYSTERIA.

DEFINITIO.—Convulsio musculorum cum sopore non profundo, praegresso globi sensu in abdomi-

ne voluti, dein ad fauces ascendentis, ibique quasi strangulantis: mulieribus praesertim infesta.

SIGNA.

Accessionem antecedere solent dolor frontis uni quasi puncto infixus, inflatio ventriculi et intestini, edito saepe murmure, alvus aequo tardior, ructus, mens varia, mutabilis, saepe demissa: sensus gravitatis ad praecordia relatus; interdum, cordis palpitatio: dein invadit sensus globi in abdomine voluti, et inde, per gulam ad fauces, ascendentis; quo simul atque pervenerit,

Membra statim convelli coeperunt: aegra pectus manibus admotis percutit, clamat, vehementer suspirat, vicissim ridet, lachrymasque fundit: sensus imminuuntur, non delentur; lux admota pupillas contrahit. Plerumque, accessione pene finita, multum urinae pallidae redditur: interdum tamen urina supprimitur. Demum accessio in somnum abit.

XXIII. HYPOCHONDRIASIS.

DEFINITIO.—Apud seniores atque temperamento *melancholico*, saepiusque ingenio acriori praeditos, signa *dyspepsiae* (vide LXXXIII), mens moesta, languida, futuri pavida, superstitioni dedita.

XXIV. CHLOROSIS.

DEFINITIO.—In foeminis jam pubescentibus, *dyspepsia* (Vide LXXXIII) vel desiderium rerum non esculentarum: cutis flavo-viridis: aqua intercus: vires multum lapsae: saepe palpitatio cordis

et *syncope:* secernenda et excernenda parum secreta et excreta: menstrua deficientia.

CAUSA CONTINENS.—*Atonia,* id est, debilitas, cordis, arteriarum vasorumque absorbentium.

N. B.—Chlorosin inter uteri morbos ponere nolui: *emansio* enim menstruorum, quae nunquam non *chloroticis* adest, solummodo una hujus morbi notarum habenda est; et nequaquam est reliquarum causa: nimirum, omnia *Chlorosis* signa ex *atonia* gignuntur. Hinc patet, cur *Chlorosi* implicatae non remediis *emmenagogis,* sed iis, quae vires totius corporis reficiunt, sanentur.

XXV. TREMOR.

DEFINITIO.—Artuum exagitatio celeris, animi injussu, viribus simul lapsis, cuteque madida et gelida.

Variat pro causa, prout oriatur

a. Ex frigore.

b. Ex ulla noxa, quae vires animi et corporis conterit.

c. Ex venenis metallicis.

XXVI. DELIRIUM TREMENS.

DEFINITIO.—Apud homines ebriositate diuturna infirmatos, delirium cum artuum tremore, et summa virium resolutione sociatum.

SIGNA.

Artus omnes tremore assiduo, *tendinum*que *subsultu* exagitantur: cutis friget, madet: vultus torvus est, ferox, pallidus: oculi assidue huc illuc volvuntur: homo noctu

vigilat, certeve parum dormit : continenter se movet et festinat, consilii dubius, furore simul vacuus. Mens imagines inter se dissimiles invicem confundit, praeteriti oblita, non nisi rebus praesentibus ad agendum impulsa : sermo expeditior editur, prorsusque alienus. Demum saepe stupor lethalis supervenit.

XXVII. NEURALGIA.

DEFINITIO.—Dolor quaesitissimus nervum ejusque ramulos, non musculorum fibras permeans, parteque affecta pressa levatus, temporibus fere incertis accessurus et decessurus : saepissime citra tumorem, ruborem, aliasve notas *rheumatismi* proprias.

SPECIES.

I. CEREBRALIS,—nervos *encephalo* ortos afficiens ; scilicet *trigeminum ;* cujus,

a. Ramus *supra-orbitalis,*

b. ..... *sub-orbitalis ;* necnon

c. ..... *maxillaris,* saepe laborant.

II. MEDULLARIS,—nervis *chorda spinali* ortis infesta ; scilicet

a. Nervis brachii ; necnon

b. Nervo *sciatico.*

CAUSA CONTINENS.—Fortasse *neurilmatis* inflammatio, sui similis.

XXVIII. MORBUS SPINAE A POTTIO DESCRIPTUS.

DEFINITIO.—Praegressa inflammatione sui si-

mili corporum vertebrarum et ligamentorum his nexorum, artus inferiores debiles, rigidi, macilenti: dein, vertebrarum corporibus carie dirutis, spina ibidem retrorsum flexa, artuumque inferiorum *paralysis* ipsa: actiones vitales et naturales languidae vel torpentes.

Causa continens.—Pars medullae spinalis vitiosa, atque vertebrarum corporibus et ligamentis inflammatione ampliatis oppressa.

XXIX. SPINA BIFIDA.

Definitio.—Apud infantes struma inquinatos, tuber molle, fluctuans, inter duas vertebras, variae molis: in cervice, dorso aut lumbis: artus inferiores et *sphincteres paralysi* soluti; functiones naturales torpidae; tubere cervicem occupante, brachiorum *paralysis*, spirandique difficultas.

Causa continens.—Dura mater *chordae spinalis* propria latice fuso distenta, atque, processu *spinoso* vertebrae absorpto, extrusa: *chorda spinali* ibidem vitiosa.

DE OCULORUM MORBIS, &c.

XXX. OPHTHALMIA.

Definitio.—Pyrexia: oculus aequo rubrior, turgidus, dolens, lucisque impatiens: plerumque illachrymas: interdum delirium.

SPECIES.

I. MEMBRANARUM, —inflammatio membranae adnatae, telaeque reticulatae ei subjectae: necnon aliquando tunicarum omnium.

Huc, id est, ad *Ophthalmiam* membranarum, attinent,

a. *Ophthalmia acuta*, apud validos et juvenes:

b. ..... *chronica*, diuturna, apud seniores, aut habitu malo praeditos.

c. *Gonorrhoealis*, ex tabo *gonorrhoeae* proprio absorpto, *adnata* pus secernente:

d. *Purulenta infantum*, ex tabo *leucorrhoeae* proprio a viis maternis in partu ad infantem translato, *adnata* pus secernente.

e. *Syphilitica*, ex tabo *syphilitico* orta, saepe ad *iridem* tendens.

f. *Aegyptiaca*, Aegypti propria, vel ex tabo sui simili orta, vel ex arena subtili per aëra volitante: fere gravissima: et in exulcerationem desitura.

Hae omnes sunt exempla *Ophthalmiae membranarum:* eadem enim sedes inflammationis omnibus contingit.

II. OPHTHALMIA TARSI.—Inflammatio tarsi, partiumque huic proximarum, ob humorem vitiosum e glandulis MEIBOMII secretum: Palpebris rubris et tumidis, ciliis dirutis, margineque palpebrarum saepe exulcerata.

DE QUIBUSDAM OPHTHALMIAE SEQUELIS.

NEBULA.—DEFINITIO. Macula opaca ante *corneam*, vasis *adnatae* proximis turgentibus.

ALBUGO.—DEFINITIO. Macula opaca *corneae* ipsi inhaerens; id est, inter ejus laminas sita.

Leucoma.—Definitio. *Cornea* ob ulcus vel ictum opaca.

Lentis capsula et margo interior Iridis praeter naturam cohaerentia.—Signa hujus vitii sunt pupilla inaequalis, admota luce; et, succo *Atropae Belladonnae corneae* illato, non ampliata.

Hypopion.—Definitio. Humor aquosus pure ei immixto opacus: non raro *corneae* ulcus, *iridis*que prolapsus, sequuntur.

Pterygium.—Definitio. Membrana vasis rubris referta triangula, quae ab angulo oculi interiori ad *corneam* tendit.

Encanthis.—Definitio. Tuber molle, rubrum, granatum, e *caruncula lachrymali* orsum: quod binos exiguos processus demum emittit: unum palpebram superiorem, alterum, inferiorem secuturum.

Staphyloma.—Definitio. Tuber album, opacum, *corneae* supereminens, unde homo obcoecatur; in ulcus saepe desiturum.

XXXI. AMAUROSIS.

Definitio.—Coecitas nervosa; id est, visus deletus, ob torporem nervi *optici* et *retinae*.

SPECIES.

a. COMPRESSIONIS,—ob aliquam causam, quae cerebrum universum, vel nervum *opticum*, ejusdemve fontem opprimit.

b. INCITATIONIS,—ob incitamenta valida, quae vim nervi *optici* ciendo conterunt: cujusmodi sunt lucubratio, literarum exiguarum lectio, usus frequentior *microscopii.*

c. ATONICA,—ob noxas debilitantes aut venena.

SIGNA.

Antecedunt varia signa nervosa; veluti, vertigo, aures sonantes, muscae volitantes, interdum *strabismus*, atque *Hemeralopia;* id est, res oculis objectae non, nisi luce clariori, perceptae. Tandem *Amaurosin* ipsam denuntiat coecitas, citra vitium oculi evidens, pupillam luce non coarctari excepto: neque vero id perpetuum est.

Muscae volitantes, *hemiopia*, *striae* ante oculos perceptae, exempla sunt *Amaurosis* imperfectae; ad torporem partis vel partium *retinae* referenda.

N. B.—GREGORIUS, nuper defunctus, inter praelegendum de Febribus dicere solebat, sibi ipsi contigisse *typho* implicatis interesse, qui non nisi dimidiam partem alicujus rei oculis oblatae videre possent: id est, *Hemiopia* laborarent.

XXXII. CATARACTA.

DEFINITIO.—Visus imminutus vel deletus, ob lentem chrystallinam ejusve capsulam opacam.

SPECIES.

a. LENTIS IPSIUS: qua urgente, opacitas a centro

lentis orsa pedetentim ad ambitum serpit: ideoque jam iniens *Nyctalopiam* movet. Huc accedit, lentem opacam, modo duram esse, modo mollem, alias caseo similem.

b. CAPSULAE:—*ophthalmia* hanc fere antecedit: *iris*que et capsula praeter naturam invicem agglutinantur.

SIGNA.

Cataractam venturam aut ineuntem ostendunt nubeculae ante oculos perceptae, et *nyctalopia;* id est, visus, luce obscura, quam clara, melior.

Confirmatam docent visus imminutus aut nullus: aliquid opacum pone pupillam conspiciendum; pupilla longe saepissime luce contracta. Noctem a die, vel morbo inveterascente, homini discernere licet.

XXXIII. STRABISMUS.

DEFINITIO.—Axes oculorum citra aut ultra rem aspectam cöeuntes.

SPECIES.

a. CONSUETUDINIS:—ob consuetudinem pravam musculis unius oculorum, plusquam alterius, utendi.

b. MORBOSUS:—ob debilitatem, *spasmum*, vel *paralysin* musculorum alterius oculorum: quo fit, ut oculi non sibi invicem convenienter moveri possint: Hinc morbis generis nervosi haud raro *strabismus* contingit.

XXXIV. MYOPIA ET PRESBYOPIA.

Myopia.—Definitio. Visus brevis: id est non nisi res oculo proximae clare conspectae.

Presbyopia.—Definitio. Visus longus: id est, non nisi res longinquae clare conspectae.

N. B.—*Myopia* saepius aetati ineunti accidit ob humores redundantes, *lentem*que *chrystallinam* atque *corneam* admodum gibba.

Presbyopia, saepius adultos et senes aggreditur, ob humores parcos, corneamque planam.

XXXV. FISTULA LACHRYMALIS.

Definitio.—Ulcus fistulam referens, a *sacco lachrymali* extrorsum patens, osse *ungui* non raro carioso futuro: membranae mucosae inflammatione praegressa, quae lachrymarum cursum impedit.

XXXVI. EPISTAXIS.

Definitio.—Cursus sanguinis e naribus; comitantibus fere faciei rubore, naso pruriente, capitisque dolore vel gravitate.

SPECIES.

a. Arteriosa:—sanguine coccineo summo impetu prosiliente, plerumque apud impuberes, ad *Hydrocephalum acutum*, aliosve morbos istiusmodi propensos.

b. Venosa.—Sanguine purpureo aequaliter profuso: saepius apud homines aetatem mediam transgressos, plenos, atque *Apoplexiae* subeundae aptos.

c. Passiva.—Ob venas laxas et sanguinem tenuiorem: veluti, urgentibus *Scorbuto, Purpura haemorrhagica*, febribusque malignis.

DE FAUCIUM MORBIS.

XXXVII. CYNANCHE.

Definitio.—Inflammatio cujusvis faucium partis, dolore et sensu angustiae, atque vorandi aut spirandi difficultate, aut utraque insignita.

N. B.—Ea vox, *Cynanche*, non morbum proprium significat: at usurpatur ad varios faucium morbos designandos, addito nomine *adjectivo*, ad sedem ipsissimam indicandam.

XXXVIII. CYNANCHE LARYNGEA (anglice, spasmodic croup of adults).

Definitio.—Apud adultos, *pyrexia*, dolor et angor, et saepe rubor et tumor faucium: glutiendi difficultas: vox initio rauca, deinde acuta, susurro similis, vel nulla: sibilus inter inspirandum editus: respiratio tarda et difficilis: vis tussiendi et expuendi pene nulla: vultus pallidus.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio membranae *glottidis* mucosae sui similis, *spasmum* musculorum *laryngis* illatura, praesertim *arytenoideorum* et *thyro-arytenoideorum;* et saepius ad fauces ascensura.

N. B.—Hic morbus non raro hominem subito strangulat, musculorum *spasmo* gravi; praeter alios eventus, ei cum *Cynanche Tracheali* communes.

XXXIX. CYNANCHE TRACHEALIS.

DEFINITIO.—Pyrexia: dolor et sensus angoris circa asperam arteriam: strepitus inter inspirandum cantui galli, sonove per tubam aheneam trajecto similis: vox rauca: tussis clangorem referens: spirandi difficultas: vultus turgidus: tumore et rubore faucium pene nullis, vorandique facultate vix impedita.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio sui similis membranae mucosae *tracheae*, *spasmum* fibrarum motricium illatura: nec raro sursum et deorsum per omnes fistulas spiritales patens.

N. B.—Membranam mucosam fistularum omnium, id est, *laryngis*, *tracheae*, et *bronchorum*, saepe inflammari hinc constat; quod membrana spuria ex *fibrina* confecta persaepe non *tracheam* unicam, verum etiam ejus ramulos, obducit.

SIGNA.

Hic morbus modo subito invadit; alias pedetentim obrepit. Signis solitis *pyrexiae* interdum derepente accedunt dolor gutturis acutus, tussis, anhelitusque tam difficilis, ut aeger mox strangulandus esse videatur.

At multo saepius hic morbus jam iniens *Catarrhum* leviorem simulat: urgent nimirum, destillatio, gravedo, capitis dolor, tussis, vox rauca. Hisce brevi superveniunt febris ardentior, arteriae concitatae, tantaque spirandi difficultas, ut aegro supino cubare non liceat. Anima, inter inspirandum stridet, perinde quasi per fistulam aheneam siccam irrueret: quem sonum, indicem hujus mali clarum alii galli cantui, alii canis gannitui conferunt: secernenda omnia atque excernenda parum secernuntur et excernuntur. Neque vero amygdalae aut fauces tument aut dolent; nec exercet glutiendi difficultas.

Quidam brevi absumuntur, animae meatu inflammatione et fibris *spasmo* coarctatis occluso; mortem antecessuris spiritu gravissimo, motu arteriarum imbecillo, vultu livente, naribusque patentibus. Alii humore sero simili secreto strangulantur. Persaepe *fibrina* effusa partim in extima spiramenta descendit, in humorem puri affinem vertenda; partim concrescit, et fit membrana, asperam arteriam ejusque ramos obductura: quibus extussitis, aeger revalescere potest; retentis vero moritur. Nonnulli citra eventus jam dictos valetudinem secundam recipiunt.

XL. CYNANCHE TONSILLARIS.

Definitio.—Pyrexia: rubor, tumor et dolor amygdalarum et faucium; dolor saepe ad aurem tendens: sensus angustiae: glutiendi difficultas; respiratione parum laesa.

Causa continens.—Inflammatio amygdalarum et membranae mucosae.

N. B.—Haec inflammatio potissimum telae reticulatae amygdalarum insidet: atque *phlegmonica* habenda est. Hinc in abscessum saepe desinit.

XLI. CYNANCHE PHARYNGEA.

DEFINITIO.—Pyrexia: Dolor et angoris sensus in imis faucibus; glutiendi summa difficultas: dolor exinde auctus: respiratione satis commoda.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio membranae mucosae *pharyngis*.

XLII. CYNANCHE PAROTIDAEA.

DEFINITIO.—Pyrexia levis: tumor et dolor glandularum salivae secernentium: secretio salivae aucta: glutiendi et spirandi facultas haud multum laesa.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio glandularum salivae secernentium, praesertim *parotidaeae:* non raro, per *metastasin*, in inflammationem mammae vel testiculi desinit.

Quod ad *cynanchen malignam*, Vide *Scarlatinam*, CXLI.

DE MORBIS PULMONIS EJUSVE MEMBRANARUM.

XLIII. PNEUMONIA.

N. B.—Quum perraro *pleura*, citra telam pulmonis cavernosam, aut haec citra illam, inflammari so-

let, species Cullenianas parum utiles existimo. Fere semper enim utraque harum partium simul inflammatur; ita tamen ut quibusdam aegrorum signa *pleuritidis* magis quam *peripneumoniae*, aliis *peripneumoniae* magis quam *pleuritidis* eveniant, prout inflammatio *pleurae* aut telae cavernosae potius insideat. Hisce perspectis, signa utriusque speciei Cullenianae, definitione *Pneumoniae* includere visum est.

DEFINITIO.—Pyrexia: dolor alicujus partis pectoris; saepius acutus, modo obtusus; inspirando et cubando in latus affectum plus minusve auctus: vix digito premente auctus: non raro ad claviculas, scapulas aut dorsum tendens: respiratio difficilis et dolens, interdum non nisi trunco corporis erecto exercenda: tussis crebra, initio sputi expers, dein humida, saepe cruenta: pulsus crebri, saepius duri, aliquando molles.

SPECIES.

a. PLEURITIS (Inflammatio *pleurae costalis*), pulsu duro, dolore acuto, praesertim inter inspirandum aucto, tussique sputi fere experte indicata.

b. PERIPNEUMONIA (Inflammatio telae cavernosae et *pleurae pulmonalis*),—Pulsu molli, dolore obtuso, tussi fere humida; vultu turgido, spiritu difficillimo, nec nisi trunco corporis erecto exercendo, indicata.

DE QUIBUSDAM PNEUMONIAE FINIBUS.

a. *HEPATIZATIO.*—DEFINITIO. Pulmo aequo densior et solidior, jecinori, quod ad fabricam, simi-

lis: non homine mortuo, et pectore patefacto, collapsus: vel ob cruorem aut naturam *fibrinae* similem in telae reticulatae cavernas fusum, vel ob humorem puri affinem iisdem inclusum.

Hinc *hepatizatio* duplicis esse generis agnoscitur: scilicet, aut *rubra*, aut *cinerea* est.

b. *Abscessus pulmonis, sive Vomica.*—Definitio. Post *pneumoniam*, non resolutam, pyrexia levior, tussis et spirandi difficultas aucta: cubandi in latus sanum difficultas: sensus ponderis; et quaedam febris *hecticae* indicia.

N. B.—Quoties, dirupto abscessu, pus in cavum pectoris effluit, *pectoriloquismus*, ministrante *stethoscopio*, sedem ipsissimam mali indicabit.

c. *Empyema.*—Definitio. Post *pneumoniam*, signa omnia (p. 51. *b.*) jam dicta: porro, dolor remissior: respiratio non nisi corpore erecto exercenda: saepe sensus humoris intus fluctuantis; murmur spiritale, quale *stethoscopium* indicat, minus evidens, quam homine sano.

d. *Latex in vias spiritales effusus.*—Definitio. Respiratio non nisi erecto corpore exercenda, spiritus acceptus et emissus difficillime, crebro, languide, nec sine strepitu: artus frigidi, vultus collapsus, labra purpurea.

XLIV. CATARRHUS.

Definitio.—Pyrexia: gravedo: destillatio: ocu-

li rubri et humidi: saepe sternutatio: vox rauca: spirandi difficultas levior aut gravior: tussis, initio sputi vacua, demum pituitam viscidam et flavam excreatura.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio membranae mucosae meatuum spiritalium.

CATARRHUS variat pro causa, prout scilicet gignatur,

a. A frigore; vel

b. A contagio; unde si nascitur, *Influenza* nominatur.

CATARRHUS variat pro parte membranae *mucosae* potissimum affecta: hinc BRONCHITIS nominatur, si in membranam *bronchorum mucosam* incumbit.

SIGNA BRONCHITIDIS.

Signis (XLIV) jam dictis adjicitur dolor pectoris, inter inspirandum auctus: respiratio difficillima est. Murmur spiritale, quale, ministerio *stethoscopii*, pectori sano admoti, aures capere solent, audiendum non est, per universum pulmonem, certeve in parte affecta: ejusdem ope instrumenti auditur strepitus sui similis (Anglice, *rattle*).

SPECIES BRONCHITIDIS sunt duæ,

a. *Acuta*, quae junioribus et validis contingit.

b. *Chronica*, quae diuturna virium resolutione stipatur.

XLV. PERIPNEUMONIA NOTHA.

DEFINITIO.—Apud seniores et infirmos, *peripneumoniae* signa cum *catarrhi* signis sociata: morbus diuturnus, praegresso vel *catarrho*, vel

pneumonia. Multo saepissime in effusionem laticis (XLIII, *d*), non *hepatizationem* aut abscessum, desitura.

CAUSA CONTINENS patet ex definitione: scilicet, est inflammatio telae cavernosae et membranae *mucosae* pulmonis.

N. B.—Habitus corporis malus et debilis facit ut haec inflammatio sit *chronica:* satisque constat, quanto magis inflammatio aliqua ad *chronicam* inclinetur, tanto latius eandem patere solitam esse.

XLVI. PERTUSSIS.

DEFINITIO.—Morbus pestilens: initio signa *catarrhi*: deinde, quibusdam diebus exactis, accessiones crebrae hisce notis designatae:

Scilicet tussi sui simili, *convulsiva*, strangulante, crebra, sono (Anglice, *hoop*) inter inspirandum edito, et insigni spirandi difficultate, demum sputo copioso aut vomitu finiendis. Accessionibus jam praesentibus, vultus turgidus sanguinisque cursus non raro e naribus, ore vel auribus adsunt.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio membranae *mucosae* meatuum spiritalium; demum musculos, qui respirationi dicantur, *spasmo clonico* affectura.

N. B.—Inflammationem membranae *mucosae* contagio accensam, partem esse primam, vel quasi radicem, hujus morbi, satis testantur signa *catarrhi* nunquam non eum ineuntem comitari solita; necnon curatio idonea. *Pertussis*, me judice, optime, *Catarrhus convulsivus* nominatur.

XLVII. ASTHMA.

DEFINITIO.—Praegressis *dyspepsiae* signis, nocte circiter media, pectoris angor impatibilis, spiritus difficilis, vix nisi trunco corporis erecto trahendus et emittendus: sibilus sui similis inter spirandum editus: tussiendi et loquendi facultas initio pene nulla: secernenda et excernenda pene suppressa. Demum aurora fere adventante, tussis facilior, multum pituitae excreatura.

CAUSA CONTINENS.—Fibrae et vasa secernentia fistularum spiritalium, caeterique musculorum, qui spiritui dicantur, *spasmo* contracti.

SPECIES.

a. SPONTANEUM,—citra causam evidentem, aliumve morbum comitantem.

b. EXANTHEMATICUM,—e cute subito deflorescente exortum.

c. PLETHORICUM,—ab exinanitione suppressa, aliave causa, quae corpus implet, ortum.

d. CARDIACUM,—e vitiis cordis: persaepe strangulaturum.

XLVIII. HAEMOPTYSIS.

DEFINITIO.—Sanguis in cavernas spiritales effusus, praesertim ex arteriae *pulmonicae* ramulis, et exinde extussitus.

SIGNA.

Signa pyrexiae plus minusve urgent; sensus molestiae

aut doloris, angustiae et interdum ardoris, ad os pectoris imum refertur; spiritus difficulter, et crebrius quam fert natura, trahitur et emittitur; praesertim aegro ambulante: non raro cor palpitat: pulsus arteriarum sunt frequentes, duri, non semper validi: genae laete rubent: aliquid acre fauces titillare videtur: humores oris aegro eundem fere saporem praebent, quem *murias sodae:* demum tussis, sive tussicula sanguinem ruberrimum, spumantem et pituita mistum, ejicit.

Stethoscopio admoto, murmur spiritale alicui parti pulmonis deesse videtur: strepitusque, Anglice *mucous rattle* dictus, auditur.

SPECIES.

a. ACTIVA,—corpore pleno, vel exinanitione suppressa, aut quovis irritamento, veluti, ictu, calculo, ulcere, &c. orta.

b. PASSIVA,—ex *purpura haemorrhagica* vel *scorbuto.*

c. CARDIACA,—ex vitiis cordis orta, fere strangulatura.

XLIX. PHTHISIS PULMONALIS.

DEFINITIO.—Praegresso fere morbo pulmonis acuto, macies, febris *hectica,* tussis, sputumque puris vitiosi.

CAUSA CONTINENS.—Exulceratio pulmonis.

SPECIES.

a. CATARRHALIS,—membrana pulmonis *mucosa* prius inflammata, et pus secernente; unde gignitur ulcus.

b. APOSTEMATOSA,—praegesso pulmonis abscessu; id est, abscessu demum in ulcus converso.

c. TUBERCULOSA,—ex tuberculis orta: quae prius inflammantur, dein exulcerantur.

TUBERCULA sunt corpora subrotunda, densa, alba, variae molis, pisis fere magnitudinem aequalia, caseo, quod ad fabricam, subsimilia: telae pulmonis reticulatae infixa.

N. B.—Species Cullenianas abjeci: quippe quae sunt non nisi partes duae hujus morbi cursus: potiusve *phthisis incipiens Culleniana* eam pulmonis inflammationem sive morbum acutum constituit, quae exulcerationem, id est, *phthisin* veram, antecedit.

a. SIGNA MALI ACUTI, QUOD PHTHISIN IPSAM ANTECEDIT.—Signis *pyrexiae* adjiciuntur dolor lateris inspirando motuque auctus, tussis fere sputi expers, praesertim vesperi, respiratio citior et difficilis: pulsus arteriarum crebri, duri: vultus fere rubrior: vires languidae, mente vix demissa; volae manuum plantaeque pedum ardentes.

Praeter haec, quae *speciebus* omnibus communia sunt, judicamus *catarrhalem* aut *apostematosam*, aut *tuberculosam* subesse, prout nunc adsint notae *catarrhi*, aut *pneumoniae*, aut morborum, qui tubercula comitari et inflammare solent; nempe, *asthmatis* aut *haemoptysis*, &c.

b. SIGNA PHTHISIS IPSIUS, ID EST, EXULCERATIONIS.—Demum, dolor, tussis, et spirandi difficultas increscunt; PUS EXPUITUR, viride, flavum aut cruentum, aut calculis mistum: CORPUS TABESCIT, adeo ut ungues fiant adunci, oculi sidant, et ossa pene cutem transfigant: VIRES CONCIDUNT, quo fit ut oculi pallidi margaritas referant, alvus, injussu animi, profluat, et sudores gelidi hominem macerent: SUMMA EST SPIRANDI DIFFICULTAS, unde crura et

pedes aqua intercute, tument. Omnia febris *hecticae* indicia accedunt: faucesque *aphthis* efflorescunt.

Denique, SPUTUM PURIS VITIOSI, MACIES, SUMMA DEBILITAS, SPIRANDI DIFFICULTAS, et FEBRIS HECTICA, notae sunt praecipuae: quippe quae caeteras fere omnes amplectuntur.

L. HYDROTHORAX.

DEFINITIO.—Spirandi difficultas: spiritus saepe non nisi erecto corporis trunco trahendus et emittendus: cubandi difficultas, praesertim in latus sanum: saepe sensus humoris in pectore fluctuantis: quies nocturna frequenter somniis diris ex improviso soluta, corde simul palpitante: aqua pedum intercus, vires fractae: labra fere livida: secernenda et excernenda suppressa.

CAUSA CONTINENS.—*Pleurarum* alterutra vel utraque latice aquoso vel glutinoso distenta.

SIGNA OMNIBUS FERE HYDROPIS GENERIBUS COMMUNIA sunt ea, quae his vocibus, SECERNENDA ET EXCERNENDA SUPPRESSA, continentur; nempe, fauces aridae, sitis, cibi fastidium, alvus tarda, urina parca et rufa et plerumque *albumine* plena, cutis arida, &c.

LI. ASPHYXIA.

DEFINITIO.—Actiones vitales et animales quiescentes, plerumque ob respirationem vi, sive arte, sublatam.

SPECIES.

a. SUBMERSORUM,—e corpore aquae submerso exorta.

b. SUSPENSORUM,—ex arteriae aspera collo ligato oppressa.

c. SUFFOCATORUM,—ex aëribus nocivis orta.

SIGNA.

Respiratio quiescit: neque enim murmur spiritale auditur, admoto *stethoscopio;* nec tabula vitrea polita naribus admota madet; actio cordis et arteriarum quiescit; homo motus et sensus expers jacet: pupillae non luce contrahuntur: vultus collabitur: labra purpurascunt: artus frigent.

N. B.—Quoties *asphyxia* corpore submerso nascitur, aëris aditui ad pulmonem denegato unice debetur; non aquae introitui: paucae enim guttae aquae, quae initio ingrediuntur, efficiunt ut musculi *laryngis spasmo* obrigentes *glottidem* claudant. Si igitur multum aquae jam intraverit, hominem mortuum esse constat.

Quoties collo ligato proficiscitur, pendet ex arteria aspera oppressa, et inde aëris introitu impedito: si enim eadem nudata ligatur, *asphyxia* accedit; non ignoro, collo ligato et homine suspenso, venas *jugulares* opprimi, et vertebrae secundae processum *dentatum* interdum luxari: neutrum tamen horum *asphyxiae* gignendae necessarium est.

Asphyxia aëribus nocivis exorta, eandem accipit rationem, quam corpore submerso nata: neque simul me latet quaedam *gasium* fistulas spiritales subire.

LII. GANGRAENA PULMONIS.

DEFINITIO.—Citra inflammationem praegressam pulmo humidior, laceratu facilis, sub-viridis aut

sub-ater: hic illic liquidus et graveolens; vel parte pulmonis affecta, vel eo toto: vires fractae.

N. B.—Morbus rarissimus.

LIII. HAEMA-THORAX.

DEFINITIO.—Summa spirandi difficultas, absque aliis *hydrothoracis* signis; murmur spiritale non audiendum: sonus, cui nomen *haegophonismus*, *stethoscopio* percipiendus.

CAUSA CONTINENS.—Pleura cruore distenta.

Hic morbus saepe in PNEUMO-THORACEM abit.

LIV. PNEUMO-THORAX.

DEFINITIO.—*a. Unius lateris:* sonus, percusso uno pectoris latere, perceptus, altero non sonante: murmur spiritale nullum, in latere sonante, in altero integrum: nulla fere lateris affecti amplificatio, spatia costis interjecta non aucta: spiritus difficillimus.

b. Utriusque lateris: sonus, utroque latere percusso, editus: murmur spiritale utrinque nullum: maxima spirandi difficultas.

CAUSA CONTINENS.—*Pleura* aëre distenta.

LV. DILATATIO CELLULARUM SPIRITALIUM (APUD LAENNEC, EMPHYSEMA).

DEFINITIO.—Citra pyrexiam aut dolorem, spirandi difficultas gradatim accedens: pectus totum

aut unum latus (si morbus uni lateri insidet) ampliatum, et spatia costis interjecta aucta. Sonus, pectore percusso editus: murmur spiritale vix perceptum.

N. B.—Hic morbus diuturnus est: Catarrhus saepe ei accedit.

LVI. OEDEMA PULMONIS.

DEFINITIO.—Spirandi difficultas, tussis pituitam tenuem excreatura: signa hydropis omnigeni communia: pectore patefacto, pulmo non collapsus, digitoque impresso cessurus.

CAUSA CONTINENS.—Latex in cavernas telae reticulatae pulmonis fusus.

LVII. MELANOSIS.

DEFINITIO.—Natura nigra et vitiosa intra telam pulmonis reticulatam secreta, ab natura atra glandularum *bronchialium* prorsus aliena, maciem et hydropem, citra febrem *hecticam*, persaepe illatura.

SPECIES.

a. SACCATA,—capsula naturam nigram includente.

b. NON SACCATA,—capsula nulla includente.

c. DIFFUSA,—per universam pulmonis fabricam dispersa aequaliter.

DE MORBIS CORDIS EJUSQUE MEMBRANARUM.

QUAEDAM NOTANDA.—Quanquam SYNCOPE et PALPITATIO apud auctores inter cordis morbos recensentur; haec mala potius signa malorum fere omnium cordis communia, mihi judicanda esse videntur: eoque magis inducor, qui ita sentiam, quod utraque persaepe invadit, cordis fabrica integerrima. Quum tamen morbi hujus visceris *syncope* et palpitatione raro vacui sunt, pauca de his prius conscribere visum est, quam ad ipsos cordis morbos transeam.

a. Syncope.—DEFINITIO. Minus aequo sanguinis ad cerebri arterias delatum, ob motum cordis imminutum.

SIGNA SYNCOPES.—Motus cordis languet: arteriae carporum vix admoto digito subsilire sentiuntur: respiratio vix percipitur; nec vero prorsus quiescit: vultus pallet: pupillae luce contrahuntur: artus frigent: cutis gelido sudore madet: homo sensu motuque vacat.

Variat pro causis: hinc SPECIES tres deduci possunt; scilicet,

a. MENTALIS,—ex animi motu contristante orta, sive ex stimulo ingrato oculis, auribus, naribusve admoto.

b. OCCASIONALIS,—ex profluvio sanguinis, aliave exinanitione majori, aut crapula, nausea, et quae sunt hujusmodi.

c. CARDIACA:—Ex corde aut vasis ei proximis vitiosis exorta. Haec subito adoriri solet, praegressa

palpitatione; et praesertim commoto animo vel corpore. Nosse simul juvat, *Syncopen cardiacam*, morbum esse ab *Angina pectoris* omnino alienum.

b. *Palpitatio.* — Definitio. Motus cordis tam vehemens, ut ab aegro ipso percipiatur, vel manu non admota; modo simul aequo crebrior.

c. Pulsus cordis abnormes esse feruntur, quoties imparibus intervallis invicem disjunguntur.

d. Pulsus cordis intermittentes vocantur, siquando ex integris derepente aliquamdiu quiescunt.

e. Signa morborum cordis pene omnium communia sunt, pulsus arteriarum imbecilli, inaequales, nec raro languidiores et pauciores quam cordis ipsius; spirandi difficultas, sensus gravitatis circa praecordia, et palpitatio, motu animi corporisve exasperata: quies diris somniis turbata: *syncope* frequens: vultus initio pallidus; malis inveterascentibus, livescens. Demum, ni mors prius advenerit, hydrops pene totius corporis; nec raro *apoplexia* atque *paralysis*.

f. Ratio horum signorum.—Omnes fere cordis (duos sane excipio, *Anginam pectoris* et *Hypertrophiam*), morbi ejus actionem infirmant, vel impediunt: quo fit ut cor sanguinem accipiat, copiosius et citius, quam projiciat: unde signa jam dicta illico gignuntur.

Proximum est, ut morbos ipsos cordis aggrediar.

LVIII. CARDITIS.

Definitio.—Signa morborum cordis communia (P. 62. *e.*) pyrexia: dolor cordis inspirando auctus:

sensus ardoris et angoris ad cor relatus: pulsus arteriarum frequentes, duri, exiles et inaequales: tussis initio sputi expers, dein pituitam, saepe cruentam, excreatura: singultus dolentissimus.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio membranarum cordis.

N. B.—*Carditis* et *Pericarditis* acutae, me judice, invicem discerni non possunt: id est, inflammatio *pericardium* aggressa ad cordis membranam exteriorem, atque ad id ipsum, serpit. Quoties fibrae motrices cordis, *chordae*que *tendineae* inflammantur, id malum non *Carditis*, sed *Rheumatismus* cordis vocatur.—(Vide CXCVIII.)

LIX. HYDRO-CARDIA.

DEFINITIO.—Praegressa saepe *carditide*, signa morborum cordis communia (P. 62. *e.*): respiratio trunco supino quam erecto, erecto quam prorsum inclinato, difficilior: pulsus cordis per spatium amplum sentiendus, et quasi duplex: liquor circa apicem cordis, imposita manu, fluctuare perceptus.

CAUSA CONTINENS.—*Pericardium* latice distentum.

LX. HYPERTROPHIA.

DEFINITIO.—Cor, vel quodvis ejus atriorum, crassius, rubrius, validius, cavo simul non ampliato.

N. B.—Haud dubito asserere *Hypertrophiam* vix recte inter morbos cordis collocari: quid est enim nisi cor perquam validum et crassum? A morbis ip-

sis hoc potissimum discrepat, quod horum omnium commune est, vires cordis imminui: *Hypertrophia* contra corde aequo validiori et crassiori continetur. Hinc satis constat, cur signa cordis morborum communia, palpitatione sane et spirandi difficultate exceptis, *Hypertrophiae* desint.

A. Signa Hypertrophiae ventriculi dextri.—Respiratio difficillima: vultus tumidus et ruberrimus: venae *jugulares* turgidae, interdum pulsu agitatae: pulsus cordis *stethoscopio* admoto apud imum os pectoris, quam inter costam vtam et vitam evidentior.

B. Signa Hypertrophiae ventriculi sinistri.—Pulsus cordis et arteriarum validi: vultus coccinei coloris: pulsus cordis, ope *stethoscopii*, inter costam vitam et viitam perceptus: valetudo parum laesa, nisi admotis incitamentis.

LXI. AMPLIFICATIO CORDIS.

Definitio.—Cor aut quodvis ejus atriorum, solito tenuius atque debilius, cavo simul amplificato, valvulisque fere vitiosis.

A. Signa amplificationis ventriculi dextri.—Pulsus cordis, ope *stethoscopii*, vehemens esse perceptus apud imum os pectoris, inter cartilaginem costae vtae et vitae lateris dextri: venae *jugulares* turgidae: vultus purpureus: spirandi difficultas: *apoplexia* vel hydrops saepe futurus.

B. Signa amplificationis ventriculi sinistri.—Signa morborum cordis communia: pulsus cordis plenus, vehemens inter costam vtam et viimam lateris laevi perceptus, admoto *stethoscopio:* atque per spatium eo amplius,

eoque magis dextrorsum pertinens, quo plus ventriculus laevus dilatetur: pulsus arteriarum debiliores et pauciores quam cordis: saepe *haemoptysis* lethalis, vel hydrops.

LXII. AMPLIFICATIO HYPERTROPHIAE ADJECTA.

DEFINITIO.—Cor vel quodvis ejus atriorum crassius, cavo simul amplificato, valvulis fere vitiosis.

N. B.—Hoc vitium CORVISARTIUS, *Amplificationem activam* vocat; parum recte, ni fallor: id enim nomen vires cordis intendi indicare videtur: cavum autem amplificatum cum viribus auctis sociari plane non potest: siquidem cor sanguine admodum distendi, ideoque ejusdem projiciendi impotens esse arguit. Cor enim justo plenius, aliquam causam exitum sanguinis impedire, id est, actionem sanam cordis imminutam, insignit. Inducor igitur, qui judicem, vim cordis semper imminui, quoties ejus cavum fit grandius. Inter auctores de signis hujus vitii non convenit: ob hanc causam, ut opinor; quod HYPERTROPHIAM et AMPLIFICATIONEM HYPERTROPHIAE ADJECTAM inter se confuderint.

SIGNA AMPLIFICATIONIS HYPERTROPHIAE ADJECTAE.

Ventriculis affectis, omnia signa amplificationis jam dicta (P. 64. LXI. A, B.), quinetiam pulsus cordis aliquanto plenior, sonans, per amplum spatium percipiendus.

LXIII. MOLLITIES CORDIS.

DEFINITIO.—Cor molle, flaccidum, dilaceratu facile, pallidum aut subflavum: fere amplificatum.

SIGNA.

Habitus est malus, vires fractae: vultus pallidus: pulsus cordis sonum hebetiorem edit, quam corde amplificato, vel *hypertrophia* affecto.

LXIV. VALVULAE IN CARTILAGINEM AUT NATURAM OSSEAM VERSAE.

Hoc malum definitione vix eget.

A. SIGNA VALVULAE MITRALIS OSSEAE.—Signa communia morborum cordis (P. 62. *e.*), signa amplificationis auriculae laevae et ventriculi dextri (P. 64. LXI.), saepe *haemoptysis* vel hydrops: pulsus arteriarum debiliores quam cordis: *stethoscopii* ope sonus murmuri felis delectatae similis audiendus.

B. SIGNA VALVULARUM AORTAE OSSEARUM.—Omnia jam dicta: quoque signa ventriculi laevi (P. 64. LXI. B.) amplificationis, vel totius cordis.

Valvulae cordis dextri raro sunt osseae.

LXV. POLYPUS CORDIS.

DEFINITIO.—Fibrina concreta intra quodvis cavorum cordis.

SPECIES.

a. POLYPUS, CITRA MORBUM, POST MORTEM FACTUS.—Lamina tenuis *fibrinae*, minus firmae, haud faciei interiori cordis adhaerescens: saepius cordi dextro inhaerens.

b. POLYPUS, HOMINE JAM VIVO, FACTUS.—*Fibrina* firmior, carni similior, arcte faciei interiori

cordis agglutinata: columnis carneis minus evidentibus, quam fert natura.

c. POLYPUS MULTO ANTE MORTEM FACTUS.—Natura friabilis, caseo quam *fibrinae* similior: opaca: saepius intra auriculas: signa dubia.

LXVI. MORBI CORDIS NON SIGNIS INDICATI

sunt ATROPHIA CORDIS, INDURATIO CORDIS, MEMBRANAE INTERIORIS RUBOR, &c.

LXVII. MORBUS COERULEUS.

DEFINITIO.—Sanguis purpureus per arterias circumfluens.

SIGNA.

Color coeruleus labris et vultui, color plumbeus aliis partibus summae cutis contingit: calor imminuitur: pulsus arteriarum tardi sunt, languidi et inaequales: actiones animi et corporis torpent. Interdum respiratio difficilis est.

SPECIES.

a. CARDIACUS,—ex causis ortus, quae novum patefaciunt aditum sanguini e corde dextro ad laevum, vel ex genere *venoso* in *aorticum:* hujusmodi sunt, *foramen ovale* aut *canalis arteriosus* patescens: septum inter ventriculos imperfectum: necnon *aorta* a *ventriculo dextro, arteria*que *pulmonica* a *sinistro* exorta. Spirandi difficultas hic parum urget.

b. PULMONALIS,—ex ullo morbo pulmonis, qui cellulas spiritales obturat, paulo ante mortem futurus. Spirandi difficultas maxima est.

LXVIII. ANGINA PECTORIS.

DEFINITIO.—Motus cordis inter ambulandum, menteve perturbata, subito impeditus, comitantibus cordis dolore, angore quaesitissimo, mortisque mox venturae metu, citra palpitationem et *syncopen.*

CAUSA CONTINENS. — Fibrae motrices cordis *spasmo* affectae.

SIGNA.

Angina pectoris invadere consuevit, inter ambulandum vel currendum, in acclivibus locis, saepius, cibo jam sumpto, ventoque adverso: aliquando, mente commota accedit:

Inter haec, sensus angoris quaesitissimi circa praecordia, dolorque cordis impatibilis, derepente hominem male habent, metumque fati jam instantis incutiunt; eo usque, ut statim conquiescere et decumbere cogatur. Dolor a corde orsus, exinde ad mammam humerumque, saepius laeva, finemque musculi *deltoidei*, serpit: modo ad digitos summos, brachio simul torpente. Praeter haec, actiones omnes animi et corporis languent, vultus fere pallet, artusque frigent: neque vero cor palpitat, aut *syncope* urget. Corpore quiescente, accessio solvi solet.

N. B.—Multi auctores contendunt, arterias *coronarias* in os conversas esse, quasi radicem *Anginae pectoris:* quos inanem opinionem fefellisse, eo existimo, quod istae arteriae non semper, patefactis cadaveribus, eo vitio laborare reperiuntur. Quod si, omnibus hoc morbo plexis osseae essent, non illico judicare liceret, id vitium causam esse continentem *An-*

ginae pectoris: at potius statuere oportet, habitum cordis malum arteriis ejus vitiosis exortum, veram esse causam continentem. Eorum corporibus, quos hic morbus absumit, introspectis, cor fere semper praeter naturam flaccere et pallere conspicitur: huc accedit, arterias *coronarias* plerumque osseas esse, et semper quadam ex parte vitiosas. Quum igitur earum est cor nutrire, hujus pallorem et debilitatem iisdem morbosis tribuo. Ne multa, denique, cor *atonia*, arteriis ejus nutricibus vitiatis nata, *Angina pectoris* implicatis, laborat; unde ad *spasmum* subeundum tam fit proclive, ut quivis animi corporisve motus, accelerando cursu sanguinis, eoque efficiendo ut cor debile sanguinem accipiat citius et copiosius quam projiciat, hujus musculi atria praeter modum impleat, et inde ejus fibras *spasmo* torqueat. Nec patet ratio angoris et doloris vix patibilium maximeque cordis non palpitantis, nisi intelligatur *spasmum* fibras cordis torquere, praesentibus *Anginae pectoris* accessionibus.

DE MORBIS ARTERIARUM ET VENARUM QUIBUSDAM.

LXIX. ANEURISMA.

Hac voce, *Aneurisma*, usus, *aneurisma verum* unice in animo habeo.

DEFINITIO.—Pars arteriae amplificata, pulsuque praeter naturam vehementi agitata.

SPECIES.

a. SIMPLEX.—DEFINITIO. Ambitus partis arteriae amplificatus, ob ejus tunicas omnes ampliatas: tumor rotundus nec late patens *Aneurisma simplex circumscriptum* vocatur: tumor oblongus, *Aneurisma simplex diffusum.*

b. SCARPIANUM.—DEFINITIO. Amplificatio arteriae ob membranam intimam, prius diruptam: media postea dirumpenda: arteria non semper quoquoversum ampliata.

Hujusmodi saepissime est *aneurisma*, quae *aortam*, aliasque grandes arterias infestat.

LXX. ANEURISMA AORTAE ASCENDENTIS ET ARCUS AORTAE.

a. SIGNA ANEURISMATIS AORTAE ASCENDENTIS.—Signa morborum cordis communia plus minusve vexant: difficultas spirandi quaesitissima urget; nec raro *haemoptysis:* vox edita sibilum refert. Ope *stethoscopii* pulsus arteriae affectae vehemens sentitur, sonusque raucus auditur, inter spinam et scapulam dextram. Si *aneurisma* sit simplex, pulsus ante dictus cum tremore sociatur, quem LAENNECIUS "fremisement cataire" vocat: contra, id signum *aneurismati scarpiano* deest. Si porro tumor *aneurismate simplici* factus grandior sit, pulsus manu *sterno* costisve admota clare percipitur. Signa *stethoscopica* eadem, sed graviora, (tremore excepto, uti jam notavi), *aneurismati scarpiano* contingunt.

b. SIGNA ANEURISMATIS ARCUS AORTAE.—Signa morborum cordis communia adsunt: respiratio difficillima est, sibilo saepe inter anhelandum edito: vox est gravis aut

nulla: vorandi difficultas vexat: *haemoptysis* et hydrops saepe accedunt. Pulsus arteriarum apud *carpos*, languidi sunt et tardi. Manu *sterno* imposita, tremor obscurus percipitur; pectoreque percusso, sonus hebetior editur.

Praeter haec, si ARCUS JAM INIENS afficitur, tumor manifestus prominet, STERNI parte, vel cartilagine absorpta:

Si PARS ULTIMA, vel POSTICA; tumor deest evidens: pulsus arteriarum carpi laevi tardiores et debiliores sunt quam dextri: dextra pars capitis dolet: nec raro demum HEMIPLEGIA lethalis sinistri lateris invadit: saepe dolor immanis dorsi, exesa vertebra, accedit.

Signa *stethoscopica* parum a jam dictis (LXX. *a.*) differunt; evidentiora sane. Pulsus fere percipiendus est, apud anticam et posticam pectoris partem: qui cordis pulsui, quod ad tempora, convenit; at vehementior est.

LXXI. ANEURISMATIS SIGNA AORTAE THORACICAE DESCENDENTIS.

Pulsus arteriae partis vitiosae praeter naturam vehemens in antica vel postica, vel utraque pectoris parte, ope *stethoscopii*, sentiendus est; stridore sui generis interdum stipatus. Stridor in postica parte audiri potest, quamvis anticae desit: signa invadunt, quae cursum sanguinis ad caput et brachia praeter naturam incitatum denuntiant. Vis devorandi saepe imminuitur vel deficit: frigent et languent artus inferiores; imo vero interdum tantum non *paralysi* solvuntur.

LXXII. SIGNA ANEURISMATIS AORTAE ABDOMINALIS.

Pulsus vehemens, sono comitante apud ventris anti-

cam partem, et in dorso, percipiendus est: artus inferiores languent et frigent, penitusve resolvuntur.

LXXIII. SIGNA ANEURISMATIS CAROTICI.

Tumor pulsum edens, initio cuti concolor, dein saepe lividus, glandulae *thyroidae* proximus est. Facultas devorandi, loquendi, spirandi, atque cibos concoquendi, plus minusve labitur. Caput dolet, notaeque vexant, quae capitis venas plus aequo impleri testantur.

LXXIV. SIGNA ANEURISMATIS ARTERIAE POPLITAEAE.

Tumor pulsu exagitatus popliti subest; prius decolor, postea ruber aut lividus. Crus ejus lateris imbecillum est, torpet; et fere aqua intercute intumescit.

LXXV. VITIA PERPERAM "ANEURISMATA" DICTA.

Aneurisma varicosum est vena sanguine coccineo distenta, ob vulnus, quo, vena transfixa, arteria subjecta violatur.

Aneurisma spurium est sanguis in telae reticulatae cavernas profusus, arteria sauciata vel dirupta.

DE MORBIS GLANDULAE THYROIDAEAE.

LXXVI. BRONCHOCELE.

DEFINITIO.—Tumor doloris pene expers atque diutinus glandulae *thyroidaeae*, cavernis ejus amplificatis, atque humore glutinoso distentis.

SIGNA.

Cartilagini *cricoidaeae* subnititur tumor, initio cuti concolor, et fere doloris expers; demum aliquando purpureus, et pulsum editurus: pars ejus media recessum exhibet: inter loquendum tumor paululum ascendit. Aliquando, loquendi, spirandi et vorandi difficultas torquet; multo minor tamen, quam quae *aneurismate carotico* plexos tentat. Quidam signis nimii sanguinis ad caput delati implicantur; qualia sunt, capitis dolor, caligo, vertigo, oculi caligantes, dormiendi cupiditas, aures sonantes, cursus sanguinis ex naribus, vultusque ruber aut purpureus.

Inflammatio in exulcerationem desitura, durities ossea, hydrops et *fungus haematodes*, interdum glandulam *thyroideam* aggrediuntur.

LXXVII. INFLAMMATIO VENARUM.

DEFINITIO.—Inflammatio venarum, praesertim membranae intimae, late patere solita, atque in suppurationem, et *fibrinae* secretionem saepe desitura:

neque *phlegmonoidea*, nec *erythemoidea* ; at potius inter has media.

SIGNA.

Post venam sectam aut ligatam, serius ocyus, dolor et sensus molestiae in eam partem incumbunt. Dolor sensim venae cursum secutus ad cor tendit ; artus universus fere tumet et dolet, cutis lineam rubram sibi praeferre solet, cui subjacet vena affecta neque tamen id perpetuum est.

Tandem aeger valde febricitat : secernenda et excernenda pene supprimuntur : dilabuntur vires animi et corporis : spiritus fere trahitur et emittitur difficulter, justoque crebrius : pulsus arteriarum frequentiores sunt : artus saepe inhorrescunt : quidam nausea et vomitus graviter cruciantur.

Morbo progrediente, vultus fit luridus, atque pulsus arteriarum exilissimi et frequentissimi : dolor cordis fixus infelicem torquet, inter inspirandum auctus. Mortemque in propinquo testantur, singultus ; tendinum subsultus, cutis sudore gelido madida, tremor, artus frigentes, et quae sunt hujusmodi.

Si habitus corporis melior est, hic morbus in suppurationem desinit ; id est, abscessus plures sibi invicem disjecti fiunt : atque pus, *fibrina* intus secreta circumductum, non cum sanguine circumfluente miscetur.

Alii, exulceratione facta vasisque exinde rosis et effusa sanguinis copia magna, pereunt.

SIGNA, QUAE, VENA INTROSPECTA, APPARENT sunt, vasa vasorum valde distenta et rubra : membrana intima rubrior, et crassior quam fert natura : os venae scalpello trajectae orbiculatum, non collapsum ; modo canalis hic illic *fibrina* occlusus, interdum pure refertus : alias, plures abscessus. Praeter haec persaepe inflammationis notae late

serpsisse imo vero, usque ad venas *jugulares* et *subclavianas*, conspiciuntur.

N. B.—Verisimile est, naturam propriam hujus inflammationis, quae neque *phlegmonoidea* est, nec *erythemoidea*, ad fabricam membranae venarum intimae referendam esse: quae procul dubio neque est *serosa*, nec *mucosa*; sed dotes utriusque aliquas sibi praefert.

LXXVIII. DYSPHAGIA.

DEFINITIO.—Cibi vel potus devorandi difficultas.

Variat pro causis; prout nascatur,

a. Ex tubere quovis *pharyngem* vel gulam oppressuro.

b. Ex corpore alieno infixo.

c. Ex *pharynge* vel gula vitiosa.

SIGNA DYSPHAGIAE PARALYSI PHARYNGIS VEL GULAE ORTAE, sunt glutiendi, praesertim liquores, difficultas perpetua, citra dolorem, tumorem, et angoris sensum; pars major potus cujusvis accepti per nares posticas relapsa, non nisi pauxillo ventriculum petituro: instrumentum, cui nomen "*probang*," ex facili demissum. Huc accedit, alias partes, veluti linguam et *sphincteres*, persaepe simul *paralysi* resolvi.

SIGNA DYSPHAGIAE SPASMO NATAE jam dictis pene contraria sunt.

Signa Dysphagiae contractura membranae mucosae ortae sunt, difficultas devorandi assidua, cibumque magis quam potum, inflammatione fere praegressa: inter glutiendum, angoris et doloris sensus: instrumentum "*probang*" dictum non ultra partem vitiosam demittendum: tandem tabes.

Signa Dysphagiae ulcere natae sunt, praegressa inflammatione, difficultas vorandi assidua: inter glutiendum, doloris et ardoris sensus ad aliquam gulae partem relatus: cibus pure mixtus saepe rejectus: macies; febris *hectica*. Quidam inter bibendum subito perierunt, strangulati; aditu ad arteriam asperam patefacta et exinde spiramentis liquore obturatis.

DE VENTRICULI MORBIS.

LXXIX. GASTRITIS PHLEGMONOIDEA.

Definitio.—Pyrexia vehemens: anxietas summa: *epigastrii* ardor et dolor quaesitissimi: dolor manu premente, ingesto quolibet alteque inspirando atque exspirando, auctus: vomendi cupiditas insignis: ingesta protinus rejecta: singultus: pulsus arteriarum duri, exiles et crebri: vires admodum lapsae: saepe delirium.

Causa continens.—Inflammatio membranae ventriculi extimae et telae reticulatae praesertim infixa.

Gastritis phlegmonoidea idiopathica est: et quoties de *Gastritide* apud auctores, alia voce non adjecta, agitur, inflammatio ventriculi *phlegmonoidea*, nunquam non significatur.

LXXX. GASTRITIS ERYTHEMOIDEA.

DEFINITIO.—Pyrexia levior: dolor, qualis *gastritide phlegmonoideae* contingit, at minus acerbus: ardoris sensus circa ventriculum insignis: caeterae notarum, quas jam protuli, mitiora: alvus plerumque fusa, atque fauces rubicundae.

CAUSA CONTINENS.—Membranae ventriculi mucosae inflammatio.

N. B.—Gastritis erythemoidea non nisi uti aliorum morborum signum, accidere solet: nempe, *variolae* jam ineuntis, atque *rubeolae* jam abiturae: cum enim membranae *mucosae* cum cute nexu intimo committuntur, inflammatio facile ab hac ad illas transfertur. Fauces rubent alvusque fluit, eo quod inflammationis *erythemoideae* est quam latissime patere: quae ideo sursum et deorsum per alimenti meatum universum tendit.

LXXXI. GASTRODYNIA.

DEFINITIO.—Citra *pyrexiam*, dolor ventriculi acerbissimus, subito accessurus et decessurus; quovis premente, calore admoto ingestisque stimulis, augendus: viribus simul lapsis, artubus frigentibus, pulsuque cordis et arteriarum imbecillo, et saepe tardo.

CAUSA CONTINENS.—Fibrae motrices ventriculi *spasmo* contortae.

N. B.—Gastrodynia vix unquam *idiopathica* est; at saepius inter *Dyspepsiae* signa habenda est; vel morbos comitatur, quibus urgentibus, vires cibi concoctrices dilabuntur; quales sunt, *Podagra*, *Nephralgia*, *Asthma*, &c. &c.

LXXXII. PYROSIS.

DEFINITIO.—Citra *pyrexiam*, *epigastrii* dolor et ardor: dolor non quovis premente, auctus: humor, plerumque aquosus et insipidus, interdum acer, crebro ructatus.

CAUSA CONTINENS mihi dubia esse videtur. Conjicio equidem causam continentem esse succum ventriculi praeter naturam acrem, unde *spasmus* et actio ventriculi abnormis moventur.

LXXXIII. DYSPEPSIA.

DEFINITIO.—Concoctio ciborum mala ventriculi debilitati debita, saepius apud juniores et sanguineos.

CAUSA CONTINENS est *atonia* vasorum secernentium, atque fibrarum motricium ventriculi.

Hinc, succo ventriculi imminuto aut vitiato, *chylus* idoneus non conficitur: actioneque ventriculi languente, hic aequo diutius ventriculo inhaeret; ideoque fermentescit; unde signa praecipua recta ortum ducunt.

SIGNA.

Vires animi et corporis languere solent: cibi fastidium, nausea et vomitus pituitae acidae saepe vexant. Huc accedunt ruminatio crebra, *gastrodynia*, *cardialgia*, id est, ardoris sensus circa *cardiam*, inflatio ventriculi, ructus: anhelitus foetet; alvus fere tarda est. Haec signa non omnia omnibus accidunt; sed aliis alia, citraque alium morbum ventriculi aut cujusvis alius viscerum.

Praeter haec, *Dyspepsia* ingravescente, multa signa *nervosa* vexant: qualia sunt, cordis palpitatio, *syncope:* metus instantis mortis: sudor gelidus: oculi caligantes, vel muscae volitantes, vel pupillae luce non contractae, et quae sunt hujusmodi.

LXXXIV. SCIRRHUS PYLORI.—(Vide CC.)

N. B.—Hic morbus, quod ad cursum, in partes tres diduci potest: quarum *prima*, notas *Scirrhi* ineuntis, tumore nondum evidente, complectatur: *Secunda*, notas *Scirrhi* inveterati, tumore manifesto stipati: *Tertia*, *Carcinomatis* notas.

SIGNA.

A. Morbo ineunte signa *dyspepsiae* plus minusve torquent. Praeter haec, cibi ingesti sesqui hora, vel bihorio post pastum evomuntur: dolor ventriculi plectit, cibo accepto, et quovis premente auctus: corpusque aliquantum marcet.

B. Signa jam dicta sensim ingravescunt: vires multum dilabuntur: somnus perturbatur: pulsus arteriarum fiunt crebri et exiles: manuque ventri admota, tuber durum sentitur, paulatim ad umbilicum usque, vel infra, descensurum. Cibo potuve jam ingesto, tuber aliquantum ascendit: tubere denique presso, dolor increscit. Hucusque alvus pigerrima parum aegreque excernit.

C. Omnia signa increscunt. Febris *hectica* accedit: sanies subatra pici vel baccis exustis *Coffaeae officinalis* tritis et aqua mistis, similis, sursum et deorsum excernitur. Dolor est cruciantissimus. Interdum *tympanites* accedit.

Aeger moritur, vel febre *hectica* confectus, vel ventriculo exeso, vel sanguinis cursu ob vasa erosa.

LXXXV. SCIRRHUS CARDIAE.

SIGNA.

Dolor hypochondrii sinistri, cibo accepto auctus: devorandi difficultas: cibus protinus rejectus, atque macies, sine tumore evidente, *Scirrhum Cardiae* denuntiant:

Carcinoma indicant dolor impatibilis, febris *hectica:* humorque ater et foedus, vomitu aut ructu rejectus. *Cardialgia* atque singultus saepe tentant.

LXXXVI. HAEMATEMESIS.

DEFINITIO.—Sanguis purpureus vel subater, cibo aliisque ventriculo inclusis mistus, vomitu ejectus.

SPECIES sunt,

a. OCCASIONALIS,—causis irritantibus orta; veluti, ulcere, veneno, ictu; vel exinanitione suppressa; uti menstruis.

b. ORGANICA,—ex jecinore, liene, aut *pancreate*, vitioso.

c. PASSIVA,—quae Febre flava, *Purpura haemorrhagica* aut *Scorbuto* implicatis accidit.

LXXXVII. PARALYSIS VENTRICULI.

SIGNA sunt *dyspepsia* gravissima, et vomitus vix aut ne vix quidem excitandus.

N. B.—Excitari solet vel ex veneno *narcotico* ingesto, vel ex nervo *vago* presso, secto aut ligato apud cervicem.

DE MORBIS PERITONAEI

ATQUE

INTESTINI TENUIORIS AUT CRASSIORIS.

LXXXVIII. PERITONITIS ACUTA.

DEFINITIO.—Pyrexia: dolor totius abdominis, corporis extenso trunco, inspirando atque expirando, et quovis leviter premente auctus: pulsus arteriarum duri, crebri et exiles, citra viscerum cujusdam inflammati notas.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio *peritonaei* acuta.

LXXXIX. PERITONITIS PUERPERARUM.

DEFINITIO.—Apud puerperas omnia signa (LXXXVIII) PERITONITIDIS ACUTAE: porro mam-

mae flaccidae, et non lactis secretrices : uteri purgationes suppressae ; vires admodum labefactatae.

CAUSA CONTINENS. — Inflammatio *peritonaei* gravissima, passu celerrimo progressura.

N. B.—Saepe in humorem puri similem secretum, nec raro in gangraenam desinit.

XC. PERITONITIS CHRONICA.

DEFINITIO.—Pyrexia levior, dolor ventris, manu premente auctus ; qualis aliquem acicula punctum invadit : angoris sensus : tensio levis : vires insigniter fractae.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio *peritonaei* lenta sive *chronica*, saepe in *Ascitem abdominalem* desitura.

XCI. ASCITES ABDOMINALIS.

DEFINITIO.—Tumor abdominis tensus, vi resiliendi perinsigni praeditus ; aequalis ; gradatim ascensurus. Spirandi difficultas, sensim increscens : aqua pedum intercus : vires fere lapsae : signa (L) hydropum omnium communia.

CAUSA CONTINENS.—Saccus a *peritonaeo* factus latice tenui vel glutinoso distentus.

N. B.—*Ascitem saccatum* abjicio. (Vide HYDROPEM OVARII, CXLII.)

Ascites variat pro ratione causae : prout scilicet nascatur,

a. E venis ullo viscere durato pressis :

b. Ex inflammatione praegressa, vel *exanthemate* repulso, vel exinanitione suppressa.

c. Ex causis debilitantibus.

XCII. ENTERITIS PHLEGMONOIDEA.

DEFINITIO.—Pyrexia vehemens: dolor abdominis acutus, praecipue circa umbilicum torquens: quovis premente, spirituque trahendo et emittendo auctus: vomitus creber: alvus pigerrima: pulsus arteriarum duri, frequentes, exiles: vires animi et corporis lapsae.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio membranae intestini extimae, atque telae reticulatae, praesertim infixa.

N. B.—Quae de *Gastritide phlegmonoidea* notavi (LXXIX) eadem de *Enteritide phlegmonoidea* jure praedicantur.

XCIII. ENTERITIS ERYTHEMOIDEA.

DEFINITIO.—Pyrexia levior: dolor abdominis hebetior, haud multum ventre presso auctus: alvus fere soluta: dejectiones mucosae vel biliosae: fauces rubrae.

CAUSA CONTINENS.—Membranae intestini mucosae inflammatio.

N. B.—Quae de *Gastritide erythemoidea* scripsi (P. 79. LXXX) ad *Entertidem erythemoideam* quoque pertinent. Alvi fluxus, qui cuti ex *rubeola* deflorescenti supervenire solet, hac inflammatione nititur: quo fit, ut subinde, ad id malum solvendum, sanguinem mittere opus sit.

XCIV. DYSENTERIA.

DEFINITIO.—Morbus pestilens: pyrexia, interdum remittens vel intermittens: dolor imi abdominis ventre presso auctus; dejectio frequens naturae mucosae, cruentae, aut adipi, caseo vel *fibrinae* similis, retento simul stercore, vel subinde *scybalis* excretis: tormina: *tenesmus:* saepe mingendi difficultas.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio sui similis membranae mucosae et musculosae, necnon folliculorum muci secernentium, *spasmum* fibrarum illatura: potissimum intestinum crassum aggredi solita, maximeque *coli* arcum *sigmoideum*, et *rectum*.

N. B.—MONRONI Tertio confisus, qui lucide de *dysenteria* scripsit, hanc inflammationem non membranae mucosae soli, verum etiam musculosae atque folliculis inter eas positis insidere proposui: non solum enim membrana musculosa praeter naturam *dysentericis* rubet et crassescit; verum etiam folliculi interdum ampliati suppurare et aliquando exulcerari videntur: siquidem pustularum speciem sibi praeferunt. Haec inflammatio *spasmum* movet, eo quod membranam musculosam male habet. Denique, *dysenteria* et *cynanche trachealis*, quod ad causam continentem inter se consimiles sunt.

XCV. CHOLERA COMMUNIS.

DEFINITIO.—Humoris biliosi vomitus; ejus-

dem dejectio frequens: anxietas: tormina: surae *spasmo* contortae: vires multum dilapsae.

SPECIES sunt,

a. SPONTANEA,—quae sua sponte aggreditur, tempestate vel regione aestuosa.

b. ACCIDENTALIS,—quae crapula, fructibus acidulis ingestis aliisque ejusmodi causis nascitur.

CAUSA CONTINENS.—Actio intestinorum aucta atque abnormis, felle copiosiori et acriori excitata.

SIGNA.

Morbo ineunte, ventriculi inflatio, nausea, sensusque molestiae invadunt: dein, dolor abdominis vix manu premente auctus: exinde protinus superveniunt vomitus et dejectio crebra humoris biliosi, atque tormina, suris simul *spasmo* contractis.

Vires inter haec concidunt, vultus pallet: secernenda et excernenda, alvo excepta, parum secernuntur et excernuntur; respiratio justo citior est: pulsus arteriarum frequentes et exiles.

Demum, *cholera* graviori, signa gangraenae, certeve virium admodum dilapsarum, mortem propinquam denuntiant; veluti, sudor gelidus, artus frigidi, tremor, tendinum subsultus, stupor, &c.

XCVI. CHOLERA INDICA.

DEFINITIO.—Dejectio frequens humoris aquosi: dein, vomitus ejusdem frequens: musculi ventris, crurum et femorum *spasmo* rigidi: ardor ventriculi perinsignis et cruciantissimus: spirandi difficultas:

virium fractarum notae, uti, cutis madida et gelida : oculi lapsi, palpebrae liventes.

N. B.—Choleram Indicam, non veluti speciem *cholerae*, sed morbum sui generis proposui : signa enim jam relata satis docent hoc malum *cholerae* Britannis infestae prorsus alienum esse. Vide Disp. Inaug. de Cholera Indica, auctore Gulielmo Henrico Foote, Edinburgi anno mdcccxxv editam. Hic medicus acerrimus notat sanguinem Cholera Indica absumptis, haud secus atque veneno necatis, non sua sponte concrescere : multaque signa huic malo cum isto, quod *cyanogenum* vel *acidum hydro-cyanicum* ingestum infert, communia esse : affirmat porro, Joanne Davio, medico scientissimo fretus, *Cholera Indica* plexos inter expirandum aequo minus *acidi carbonici* excernere. Quibus omnibus perpensis, conjicit hujus morbi causam continentem esse *corpus carbonio et nitrogenio justo saturius.*

XCVII. DIARRHOEA.

Definitio.—Alvi dejectiones praeter naturam copiosae et liquidae.

SPECIES.

a. Idiopathica,—quae ex actione fibrarum et vasorum incitata, variis irritamentis, accensa, nascitur.

b. Colliquativa,—quae ex vasis et fibris laxatis originem ducit : qualis nempe *Phthisin pulmonalem, Morbum coxarium,* febres malignas, aliosque morbos, ad mortem jam praecipites, comitatur.

c. INFLAMMATORIA,—quam movet inflammatio membranae mucosae : qualis scilicet apud finem *rubeolae* accidit.

N. B.—*Species* prima, *Idiopathica*, genus Cullenianum, atque species ei subjectas, complectitur : quas proponere inutile duxi : siquidem non nisi e variis irritamentis, quae actionem intestini incitatam accendunt, deducuntur. Quod ad *colliquativam* atque *inflammatoriam*, de his apud CULLENUM penitus siletur.

XCVIII. COLICA.

DEFINITIO.—Citra pyrexiam, dolor abdominis, presso ventre, stimulisque quibusvis ingestis levatus ; praecipue circa umbilicum torquens : vomitus : alvus tardissima : caetera e secernendis et excernendis suppressa : saepe musculi ventris *spasmo* rigidi.

CAUSA CONTINENS.—Fibrae et vasa intestini *spasmo* contracta.

I. Variat gradu ; vehementissima fit,

ILEUS.—DEFINITIO. *Colica* gravissima, stercore simul vomitu ejecto, propter actionem intestini inversam ; inflammatione plus minusve vehemente fere comitante.

II. Variat pro causae ratione ; hinc vocatur,

a. STERCOREA,—si ex alvi tarditate nascitur.

b. ACCIDENTALIS,—si ex acribus ingestis.

c. MECONIALIS,—si ex *meconio* non dejecto.

d. CALLOSA,—si ex parte intestini angustiori, ob membranam mucosam crassiorem: cujus signa sunt, colica cum angoris sensu ad unam partem relato, aërisque citra eandem inclusi, unde gravis dolor cietur, aëre paulatim transeunte abiturus: stercus omnino retentum.

e. CALCULOSA,—si ex calculis intestino infixis exoritur: cujus signa sunt, colica cum tubere duro et mobili, manu admota sentiendo, praesertim apud regionem *iliacam* dextram; calculo interdum dejecto mala soluta.

f. PICTONUM,—si plumbo humoribus circumeuntibus misto enascitur: signa sunt, praegresso gravitatis in abdomine sensu, praecipue circa umbilicum, dolor *colicae* proprius, initio levis, ciboque accepto ingravescens: dein gravior et fere perpetuus: demum dolor dorsi et brachiorum in *paralysin* abiturus.

XCIX. INTUS-SUSCEPTIO.

DEFINITIO.—Pars intestini una in aliam accepta, saepius pars ventriculo citerior in ulteriorem: modo ulterior in citeriorem.

SPECIES sunt,

a. CHRONICA,—infantes sua sponte aggredi solita, et citra periculum in sanitatem desitura.

b. ACUTA,—adultis infesta, ex causis, quae actionem *peristalticam* inaequaliter incitant, vel invertunt: illinc pars intestini ventriculo propior in

ulteriorem ; hinc, pars ulterior in propiorem accipitur.

Signa Intus-susceptionis acutae sunt signa *enteritidis* et *colicae* acerbissima (quantum his coire liceat) ; dolor torquens, cum tumore duro sociatus, apud unam abdominis partem sentiendus : alvus pertinacissima : saepe *Ileus*.

C. TYMPANITES.

Definitio.—Intestinum, aut cavum a *peritonaeo* confectum aut utrumque, aëre distentum.

Signa Tympanitis intestinalis sunt, tumor abdominis tensus, vi insigni resiliendi praeditus, ventre percusso sonaturus : inaequalis : actio ventriculi et intestini torpida : aër crebro sursum atque deorsum ejectus, et exinde mala mitigata : spirandi difficultas.

Signa Tympanitis abdominalis sunt tumor abdominis tensus, magna vi resiliendi praeditus, aequalis, admodum, percusso ventre, sonaturus, aëre rarius ejecto : spirandi difficultas magna, actio ventriculi et intestini segnior. T. *abdominalis* vel *idiopathicus* est, aëre secreto, vel *symptomaticus* ex gangraena, ulcere, *carcinomate*, vel quavis alia causa intestinum diruptura vel erosura, oriundus.

CI. VERMINATIO.

Definitio.—Morbus a vermibus apud intestinum humanum nidulari solitis oriundus.

Vermes intestino humano inhaerere soliti sunt,

A. Taeniae, { *a.* Solium. *b.* Dentata. *c.* Lata ;

atque

B. Vermes teretes, { *x.* Ascaris vermicularis. *y.* Ascaris lumbricoides. *z.* Trichuris hominis.

A, *a.* TAENIA SOLIUM est vermis " articulis quadratis, elongato aut transverso quadratis" instructus : " osculis pone medium insertis :" multos pedes longus.

A, *b.* TAENIA DENTATA est vermis, " articulis brevibus transverso-quadratis, postice marginatis" instructus : " osculis medio insertis : margine posteriori dilatato : ovariis obscuris."

A, *c.* TAENIA LATA est vermis, " articulis brevissimis, in medio nodosis, postice marginatis" instructus : " osculis prominulis medio insertis."

B, *x.* ASCARIS VERMICULARIS est vermis teres, perexiguus, dimidiam partem pollicis longus, tripartitus : capite tribus vesiculis instructo, caudae apice pertenui : recto fere inclusus.

B. *y.* ASCARIS LUMBRICOIDES est vermis teres, pollices quinque, ampliusve, usque ad quindecim, longus : capite tribus lobis instructo, inter quos patet os triangulum : ano paulo ante caudam hiante, apud superficiem inferiorem : rugosus ; quatuor lineis a capite ad caudam pertinentibus, et pari intervallo invicem disjunctis, maculatus. Hic vermis saepius intestino *ileo colo*que includitur.

B, z. TRICHURIS HOMINIS est vermis teres, exiguus, corpore sesqui pollicem longo, caudaque pertenui, filo vel capillo simili, instructus: intestino *coeco* persaepe inclusus.

VERMINATIONIS SIGNA.

Siquidem verminatio saepe *strumosos* male habet, signa quae corpus *scrophula* inquinatum (CXCIX) denuntiant, non raro plus minusve apparent. Huc accedunt venter tumidus, dolor abdominis non quovis premente exacerbatus; anhelitus graveolens, ventriculi inflatio, alvus varia, dejectionesque glutinosae et interdum cruentae. Praeter haec, aeger cibi modo fastidiosus est, alias solito edacior; tussiculaque, respiratione difficili et citiori saepe torquetur; et plus minusve tabescit.

Signa generis nervosi perturbati persaepe cruciant; uti, distentiones nervorum, caligo, *strabismus*, pupillae non luce contractae, nasus pruriens, dentium stridor, febricula, &c.

Horum alia aliis, perraro omnibus omnia, verminosis contingunt.

Denique, *Ascaridem vermicularem* subesse docent ani pruritus; *Taeniam*, anhelitus malus, tabes, summi ventris dolor, atque aeger ciborum justo appetentior et edacior.

CII. SCIRRHUS COLI ET RECTI. (Vide CC.)

SCIRRHUS COLI.

SIGNA.

Praeter notas habitus corporis mali *scirrhi* omnigeni communes (CC) dolor ventris torquet, urens, quali pars affici consuevit, ferramento praeacuto violata, quovis premente, atque inter desidendum auctus, diuturnus; multo-

que saepissime regioni *iliacae* aut *hypogastricae* infixus. Ibidem tuber durum manu imposita contrectari potest; modo audiendus est sibilus, ab aëre per partem vitiosam transeunte genitus: dejectiones parcae sunt, nec alvus citra *tenesmum* descendit.

B. CARCINOMA accessisse testantur signa jam dicta acerbiora, febris *hectica*, dejectiones foedissimae, pici similes: modo, fato jam propinquo, *tympanites abdominalis*.

SCIRRHUS RECTI.

SIGNA.

A. Dolor circa os sacrum torquet, ambulando, equitando, desidendo et mingendo exasperatus; diuturnus: urina aegre et parce excernitur: stercus exiguum et angustum redditur.

B. Demum his malis ingravescentibus adjiciuntur febris *hectica*, dejectiones alvi liquidae et piceae: necnon aliquando, ob exulcerationem patescentem, urina reddita alvi dejectionibus immista.

CIII. HAEMORRHOIS.

A. *HAEMORRHOIS VARICOSA*. — DEFINITIO. Venae *haemorrhoidales* interiores vel exteriores *varice* amplificatae, sanguine saepe profuso.

B. *HAEMORRHOIS COECA*. — DEFINITIO. Tubera variae magnitudinis, mollia, non e venis *varice* distentis confecta; e quibus sanguis non effluit.

N. B.—Tubera primi generis (A.) mole variant, prout *ecchymosis* simul adsit aut desit; sedeque, prout venae interiores aut exteriores laborent. Si habitu corporis malo, *ecchymosis* accidit; id est,

cruor, diruptis venis, in cavernas telae reticulatae funditur, *ani fistula* sequi consuevit.

Tubera secundi generis (B.) ano quoque plus minusve distant.

SIGNA UTRIUSQUE COMMUNIA.

Initio, capitis gravitas et dolor, vertigo, caligo et alia ejusmodi tentant; porro, dorsi et lumborum dolor, ambulando et equitando exacerbatus. Huc accedunt alvi tarditas, dolor inter dejiciendum, ani ardor et pruritus, et mingendi difficultas.

A. HAEMORRHOIDE VARICOSA urgente, venisque exterioribus affectis, tubera livida et dolentia circa anum prodeunt, e quibus cruor saepe effluit: venis autem interioribus ampliatis, cruor ex ano saepe stillat, citra tubera oculis evidentia; dolorque aliquanto lenior cruciat.

B. HAEMORRHOIDI COECAE eadem signa eveniunt, excepto sanguinis fluxu.

Interdum, hoc profluvio subito quiescente, postquam diu permanserit, *apoplexia* supervenit; alias, cursus sanguinis e naribus, ventriculo aut pulmone accedit.

CIV. HERNIA.

DEFINITIO.—Viscus e sede propria, per aliquem hiatum, prolapsum, integumentis communibus, atque multo saepissime membrana *serosa*, sedi visceris prolapsi circumjecta, obducentibus.

HERNIA variat, pro ratione hiatus vel canalis, per quem viscus prolabitur: Hinc vocatur,

a. HERNIA INGUINALIS, sive BUBONOCELE,

sive in maribus, HERNIA SCROTALIS, si viscus per canalem *inguinalem* labitur.

b. HERNIA VENTRO-INGUINALIS, si per os inferius unice *canalis inguinalis* viscus extruditur.

c. HERNIA INGUINALIS INTERIOR, si viscus parti superiori *canalis inguinalis* inhaeret.

d. HERNIA CONGENITA, si ante hominem natum, viscus delapsum una cum testiculo, *tunica vaginali reflexa* includitur.

e. HERNIA FEMORALIS, sive CRURALIS, sive MEROCELE, si per hiatum *cruralem* viscus transit.

f. HERNIA UMBILICALIS, sive EXOMPHALOS, si per umbilicum prolabitur.

g. HERNIA VENTRALIS, si viscus per spatium duobus musculorum abdominis interjectum, vel inter fibras musculi invicem disjectas, extruditur. Nec desunt alii hiatus, quos viscera abdominis permeare possunt; veluti, foramina septi transversi atque pelvis; scilicet, foramen *ovale* et foramen *sacrosciaticum.*

HERNIA pro viscere prolapso variat; intestino lapso, *Enterocele: omento* extruso, *Epiplocele* nominatur.

N. B.—Hernia, quod ad tumoris conditionem, triplex esse potest: scilicet,

x. Manu, id est, *taxi*, ad sedem propriam reduci potest.

y. Citra inflammationem gravem, ob ejus amplitudinem insignem, ob viscus delapsum ope *fibrinae* secretae parti vicinae agglutinatum aliasve causas, *taxi* reduci non potest.

z. Viscus strangulatur; id est, ob constrictionem canalis vel hiatus, *taxi* reduci nequit, atque inflammatione simul corripitur.

Signa herniae taxi reducendae sunt, tumor apud quemvis hiatuum jam dictorum resiliendi vi praeditus aut non, prout adsit *Enterocele* aut *Epiplocele;* valde mobilis, pedetentim descensurus, ruboris et doloris expers, spiritu trahendo, tussiendo corporeque erecto amplificatus: spiritu emittendo corporeque supino multum imminutus. Praeter haec, ventriculi inflatio urget, alvusque paulo tardior est quam fert natura: actiones tamen naturales haud multum turbantur: ventriculus scilicet et intestina satis bene officio funguntur.

Signa herniae non reducendae, citra inflammationem, sunt, tumor amplissimus, interdum ad genu usque descensurus diuque mansurus, parum respiratione aut tussi, quod ad molem, mutatus: alvus pigrior, dolor qualis *colicae* contingit: intestini inflatio perinsignis.

Signa herniae strangulatae sunt, tumor mediae magnitudinis dolentissimus, tensus, ruber; non spiritu accepto et tussiendo corporeve erecto amplificatus; neque anima emissa, corporeve supino, imminutus: *Enteritidis* gravissimae signa (XCII), alvus pertinacissima; modo stercus ipsum, actione fibrarum intestini naturali contraria, vomitu excretum.

Gangraenam *herniae strangulatae* supervenisse docent dolor subito finitus, tumor flaccens, colore livido aut plumbeo instructus, saepe sua sponte evanescens; integumenta interdum dirupta; notae virium concidentium, quales sunt singultus, cutis gelido sudore madida; tremor, stupor, atque vultus expallescens.

MORBI JECINORIS.

CV. HEPATITIS ACUTA.

DEFINITIO.—Pyrexia: *hypochondrii* dextri dolor, acutus vel hebes, quovis opprimente, spiritu trahendo et emittendo, aut aegro in latus laevum cubante, exasperatus: fere ad claviculam humerumque dextrum summum ascensurus: spirandi difficultas, tussis fere sonora et sputi expers; singultus: frequenter vomitus: interdum *icteri* signa.

N. B.—Scire licet haec signa non omnia semper adesse; sed hunc morbum pro parte jecinoris potissimum affecta, variare: nimirum dolorem acutum, singultum, spirandi difficultatem, atque tussim, facie jecinoris convexa, sive gibba inflammata, potissimum vexare: contra, nauseam, vomitum, alvum pigram, dejectiones albidas fellisque expertes, cutemque summam atque oculos colore croceo infectos, partem jecinoris concavam inflammari denuntiare solita esse: ne multa, actiones vitales, facie gibba; actiones vero, quae naturales apud medicos nominantur, facie concava inflammata, praesertim laborare.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio membranae jecinori circumjectae; ideoque non raro ad ejus ligamenta serpere solita.

Inter hujus morbi fines notandus est ABSCESSUS. SIGNA sunt, praegressa *hepatitide* acuta, dolor hebetior, ponderis

sensus, notae febris *hecticae*, leniores sane, nisi corporis habitus vitiosus adsit: modo tumor fluctuans, subalbidus, acuminatus: modo pus flavum, foedum, et amarum extussitum; alias vomitu, aut per alvum excretum: prout jecur cum hac vel illa parte praeter naturam conglutinetur.

CVI. HEPATITIS CHRONICA.

DEFINITIO.—*Hepatitide* acuta saepe praegressa, *temperamento* corporis *melancholico*, et valetudine plus minusve per ebrietatem vitamve in terris aestuosis actam lapsa, signa *dyspepsiae* (LXXXIII), dolor hebes *hypochondrii* dextri, cubando in laevum latus auctus: humeri dextri summi gravitas, torpor, vel dolor: macies, vires animi et corporis fractae, alvus fere tarda: interdum spirandi difficultas, tussis atque singultus: modo notae *Icteri* propriae.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio lenta telae reticulatae jecinoris.

CVII. INDURATIO JECINORIS.

DEFINITIO.—*Hepatitide chronica* saepe praegressa, tumor durus interdum, ob tabem, admota manu, sentiendus: pleraque signorum *hepatitidis chronicae:* superventuro fere hydrope; aliquando *ictero*, modo *haematemesi*.

CAUSA CONTINENS.—Jecur solito durius, mole plerumque imminuta, citra *scirrhum*.

N. B.—Notatu dignum est, hoc malum a *scirrho* prorsus esse alienum: neque enim fabricam *scirrhi*

propriam exhibet, id est, tuber *fibro-cartilagineum:* nec eundem exitum sibi praefert; neque eandem curationem desiderat.

CVIII. TUBERCULA JECINORIS.

DEFINITIO.—In corpore plerumque *scrophula* inquinato, jecinoris INDURATIONIS notae: saepe tuber nodosum evidens in *hypochondrio* dextro, manu imposita, sentiendum.

N. B.—Tubercula magnitudine, colore et natura variant: quaedam ampla sunt et albida: alia mollia et fusca: alia cum *scrophula* nexu intimo sociantur.

CIX. ET CX.

Quod ad HYDATIDES jecinori inhaerentes, atque FUNGUM HAEMATODEM jecinoris, vide CCVIII et CCV.

CXI. ICTERUS.

DEFINITIO.—Cutis oculique flava, propter bilem sanguine circumfluente mistam.

SIGNA sunt *Dyspepsiae* notae (LXXXIII), alvus fere tarda; dejectiones albidae, durae, soliti foetoris expertes: languor insignis animi et corporis: prius oculi, dein cutis universa colore croceo tincta; pruritus summae cutis vix patibilis: necnon urina biliosa, in quam quodvis candidum injectum flavescit: huc interdum accedunt os sapore amaro offensum, resque oculo objectae aurescere visae.

ICTERUS pro causae ratione variat; hinc,

a. SPASMODICUS vocatur, si ex bilis canalibus SPASMO contractis nascitur: dolore fere vacat, subitoque animi motum vel *hysteriam* sequitur.

b. HEPATICUS, si morbo jecinoris nascitur.

c. GRAVIDARUM, si bilis canalibus ab utero gravido oppressis exoritur.

d. INFANTUM, si tenellos, ob *meconium* retentum, aggreditur.

e. CALCULOSUS, si calculo *ductui* fere *cystico* vel *choledocho* infixo nascitur; unde fibrarum *spasmus* movetur: saepe in inflammationem desiturus.

SIGNA ICTERI CALCULOSI sunt, praeter signa *icteri* jam dicta, dolor *epigastrii* pungens, subito invicem accessurus et decessurus; corpore prorsum inclinato et medicamentis *spasmi* solventibus sedatus; motu corporis, ciboque sumpto auctus: *pyrexia* inter haec nulla; pulsusque arteriarum, etsi crebri, tamen nec duri, neque plures quam centum, quaque sexagesima horae parte. Praeter haec, dolore subito quiescente, ob calculi transitum, saepe pulsus arteriarum derepente tardi et exiles fiunt, *syncope*ve ipsa accedit.

CXII. QUAEDAM DE LIENIS ET PANCREATIS MORBIS.

N. B.—Si quidem inflammatio lienis *idiopathica* morbus est rarus, neque ullis signis praedicatur, nisi quae aliquis, indiciis communibus inflammationis, et lienis sede cognitis, sua sponte intelligat, de *Splenitide* proprie scribere supervacuum duco. Prae-

ter inflammationem, mollities vitiosa saepe lienem afficit, *Purpura haemorrhagica* et *Scorbuto* affectis: modo aequo amplior et durior fit, unde hydrops nascitur: alias, tuberculis *strumosis* vitiatur: subinde *hydatides* continet. Sed prae aliis hujus visceris malis, notatu dignum est id, quod Febrem *Intermittentem* et *Remittentem* comitatur.

Quos febris intermittens enecat, his lien multo grandior et fere simul durior reperiri solet. Quos febris remittens occidit, iis amplificatur, et abscessum vel exulcerationem sibi praefert. Haud sane me latet, quosdam haec vitia ad sanguinem intus conversum, vasis extimis *spasmo* coarctatis, referre: quibus assentiri eo non possum, quod istam causam viscera omnia sanguine refercire oporteret; quod porro omnium febrium commune est, arterias extimas, corporis ubique, *spasmo* constringi. Ablegata igitur ista opinione, potius conjicio lienis inflammationem ab ipso initio his febribus subesse; scilicet, partem esse morbi *miasmate* orti: hanc inflammationem *chronicam* esse, febre intermittente torquente; acutam, remittente. Si recte judicavi, ratio patet, quare lien amplior et durior illam; grandior et exulceratus hanc comitari soleat: constat enim illud vitium inflammationis *chronicae*, hoc acutae, eventum esse. Denique cum res est notissima febre remittente plexos dolorem *hypochondrii* sinistri fere semper conqueri; nonne veri est simile quaedam febris indicia continenter adesse; id est, vel accessionibus finitis, superesse (ideo enim haec Febris *Remittens* nominatur) quod inflammatione acuta semper saeviente accenduntur, et quasi aluntur.

Quae de Liene proposui, eadem fere de *Pancreate* praedicanda sunt. Persaepe turget et indurescit

praeter modum, *Scrophula mesenterica* aegrotis: nec raro ductus ejus excernens calculis obsessus invenitur. Hoc viscus durum et grande mala quaedam haud levia progignere potest, vasis ei propinquis opprimendis: nempe, tabem, hydropem, atque *icterum*.

MORBI INSTRUMENTORUM URINAE.

P. Signa calculi urinae communia, cuicunque parti meatus urinae inhaereat, sunt, apud sanguineos et indole *arthritica* praeditos, dolor alicujus partis viarum urinae, non perpetuus, *pyrexiae* fere expers, corpore agitato auctus: min endi difficultas: urina fere parca, mucosa, cruenta, sabulosa: porro notae plures *dyspepsiae*, praecipue vomitus; nec raro femoris ejusdem lateris torpor, testiculo simul retracto aut dolente.

CXIII. NEPHRALGIA CALCULOSA.

Definitio.—Renis *spasmus*, calculo infixo ortus.

Signa nephralgiae calculosae sunt signa communia jam (P.) memorata: porro dolor acerbus regioni renis infixus, iter *ureteris* secuturus: quae omnia, integritatibus interjectis, vicissim accedunt et quiescunt. *Ischuria* raro accedit: raro enim utrinque calculus adest.

CXIV. URETERALGIA CALCULOSA.

DEFINITIO.—*Ureteris spasmus*, calculo infixo ortus.

SIGNA sunt, communia jam (P.) enarrata: porro, dolor alicujus partis *ureteris*, eum universum permeaturus, corpore agitato auctus: quae omnia, integritatibus interjectis, vicibus alternis, modo urgent, modo quiescunt. Aliquanto post accessionem finitam, multum urinae sabulosae, mucosae et cruentae profluit.

CXV. CYSTALGIA CALCULOSA.

DEFINITIO.—Urinae cursus calculo vesicae inhaerente impeditus, *spasmo* cervicis fibrarum subinde adjecto.

SIGNA sunt signa communia (P) calculi urinae: cupiditas mingendi frequens, imo vero pene assidua; inter mingendum, urinae cursus saepe derepente quiescens: dein dolor et quasi titillatus a cervice vesicae ad summum colem usque pertinere percepti: simulque *tenesmus*, atque urina vel penitus suppressa, vel saltem non excernenda, nisi corpore genubus cubitisque innixo.

CXVI.

Quod ad *urethralgiam calculosam* (CXVI), iisdem pene signis, quibus *cystalgia*, praedicatur: nisi quod urina penitus atque continenter, supprimi consuevit.

CXVII. NEPHRITIS.

DEFINITIO.—Pyxexia: dolor renis, fere *ureteris* iter secuturus; corpore exagitato, et quovis pre-

mente exasperatus: urina crebrius excreta, plerumque tenuis et decolor, interdum ruberrima; non vero sabulosa aut mucosa: vomitus: cruris stupor: testiculus ejusdem lateris retractus vel dolens.

N. B.—Quamvis stuporem cruris, testiculumque retractum vel dolentem, inter signa calculi communia proposui, (non sane quod perpetuo urgent, sed quod adesse possunt, cuicunque sedi calculus inhaereat), non simul existimari oportet, ea signa non aliunde quoque enasci posse. Inflammatio enim renis, calculi expers, signa eadem gignit: caetera tamen calculi indicia nulla satis hanc subesse docent.

CXVIII. NEPHRITIS CALCULOSA.

DEFINITIO.—Praegressa NEPHRALGIA CALCULOSA signa NEPHRITIDIS: quoque urina sabulosa et mucosa: actio ventriculi multum turbata.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio renis calculo cuivis ejus parti infixo accensa.

N. B.—Manifestum est *pyrexiam*, dolorem presso rene auctum, et signa omnia assidua, nullo intervallo interjecto, usque ad inflammationem finitam, hunc morbum ab NEPHRALGIA CALCULOSA discernere posse: caeterae enim notarum illi cum hac communes esse consuerunt.

CXIX. ISCHURIA RENALIS AUT URETERICA.

DEFINITIO.—Urina non excreta, ob impedimentum reni vel alicui *ureteris* parti infixum.

N. B.—Quanquam CULLENUS SPECIES quatuor ISCHURIAE habet, eam duplicem proponere satis esse

duxi: commune est enim *ischuriae renalis* cum *ureterica*, vesicam omnino inanem esse. Quinetiam *ischuriae vesicalis* cum *urethrali* commune est, vesicam distendi: quo fit, ut *ischuria renalis* et *ureterica* fere iisdem designentur notis; necnon ut, quae *vesicalem*, eadem fere *urethralem* denuntient. *Ischuria renalis* aut *ureterica* aliquanto rarior est morbus; siquidem vix accidit, nisi impedimentum utrique renum aut *ureterum* adsit.

Signa sunt; praegresso renis morbo, dolor aut molestiae sensus ad renem aut aliquam *ureteris* partem relatus: urina penitus suppressa: tumor regionis *hypogastricae* nullus: desiderium mingendi pene nullum: si post aliquas horas exactas, haec mala non quiescunt; vel sequitur, ut signa *apoplexiae*, ob urinam absorptam, humoribusque circumeuntibus immixtam, mortem homini adsciscant; vel ut aeger, impedimento arte aut sua sponte sublato, revalescat; vel denique ut fistula urinae ductrice dirupta, urina inter *peritonaeum* et musculos ventris posticos profundatur, gangraenam fere lethalem illatura.

CXX. ISCHURIA VESICALIS AUT URETHRALIS.

Definitio.—Urina non excreta, ob impedimentum vesicae, vel cuivis parti *urethrae* infixum.

Signa sunt urina prorsus suppressa: porro tumor et dolor regionis *hypogastricae*: dolor cervicis vesicae, aut alicujus *urethrae* partis: assidua mingendi cupiditas: demum, saepe *paralysis* vesicae, mala omnia exasperatura; (quae porro interdum *Ischuriae vesicalis* causa est), vel mors, dirupta vesica, absorptave urina; vel, sanitas recidi-

va, si, medicinae almaeve naturae ope, impedimentum tollitur.

CXXI. DYSURIA.

DEFINITIO.—Urina parce, aegre nec citra dolorem, excreta.

N. B.—Non nisi gradu ab *Ischuria* differt.

CXXII. ENURESIS.

DEFINITIO.—Vesica urinae retinendae impotens.

SPECIES sunt,

a. ATONICA,—viribus totius corporis admodum resolutis, aut vesica ipsa ejusdemve cervicis fibris *paralysi* laxatis.

b. IRRITATIONIS, — noxa irritante *spasmum sphincteris* motura exorta; vel quovis tubere vesicam ipsam oppressuro genita.

N. B.—Fere semper *symptomatica* est.

CXXIII. HAEMATURIA.

DEFINITIO.—Fluxus urinae cruentae.

SPECIES sunt,

a. ACTIONE INCITATA STIPATA;—equitando, medicamentis urinae moventibus acrioribus, aliave causa irritante, exorta: dolore et mingendi difficultate fere comitantibus.

b. VIRIBUS FRACTIS DEBITA;—vasis resolutis

orta: qualis *Purpura haemorrhagica, scorbuto,* aut febre ulla maligna aegrotantibus contingit.

CXXIV. CYSTITIS.

DEFINITIO.—Pyrexia: regionis *hypogastricae* tensio et dolor: mingendi difficultas: interdum urina omnino suppressa: *tenesmus.*

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio vesicae acuta.

CXXV. CATARRHUS VESICAE.

DEFINITIO.—In senioribus et valetudinem labefactatis, saepe *arthriticis,* sive calculosis, cursus urinae pituita viscida mistae parcus, difficilis et frequens: dolor obtusus vesicae, aut ardoris sensus: interdum calculi signa: saepe *tenesmus.*

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio lenta et diutina membranae mucosae vesicae, saepe in exulcerationem abitura.

CXXVI. DIABETES MELLITUS.

DEFINITIO.—Copia immodica urinae dulcis excreta: caetera e secernendis et excernendis pene suppressa: tabes: aeger cibi potusque appetentior et edacior: demum febris *hectica:* saepe hydrops; interdum *Phthisis tuberculosa.*

SIGNA.

Hic morbus debiles, valetudinem fractos, et aetatem mediam transgressos, invadere consuevit. Urina redditur

multa, saporis et coloris mellei; modo librae xx quotidie, ampliusve, excernuntur: cutis summa perquam inarescit, squamas sibi praefert, odoreque sui simili nares offendit. Fauces insigniter rubent, et succis naturalibus carent: sitis impatibilis satiari nequit. Aeger cibi justo appetentior et edacior est; at simul quam celerrime tabescere pergit. Alvus tardissima parum aegreque excernit. Demum accedit Febris *hectica;* nec raro hydrops: interdum *Phthisis pulmonalis tuberculosa.*

N. B.—Diabetem insipidum abjicio: quippe qui, nisi, *hysteriae* signum, vel subito frigore aut timore, aliove animi motu contristante genitus, nunquam, ut opinor, adest.

Quod ad CAUSAM CONTINENTEM *Diabetis melliti*, me eam nescire lubens fateor: mihi tamen verisimile videtur, hunc morbum vix inter renis mala recte collocari; at sanguinem circumfluentem vitiosum ejus esse radicem. Sanguis mutatur, eo quod actio ciborum concoctrix male se habet.

Inducor qui ita sentiam, eo quod sanguis, *diabeticorum* proprius, multa exhibet sui propria; interdum scilicet detractus diu non putrescit: nec vero dicere volo *saccharum* ei subesse: id enim sanguini *diabeticorum* deest, et intra renem gignitur. Denique, cadaveribus introspectis, docemur, omnes fere partes corporis humani, solidas et liquidas, *Diabeticis* vitiosas esse: id quod non admirandum est, si sanguis mutatur; ex hoc enim, veluti fonte, sive radice, caeterae partes omnes progignuntur.

MORBI GIGNENDI INSTRUMENTORUM IN MARIBUS.

CXXVII. INFLAMMATIO TESTICULI.

DEFINITIO.—Pyrexia, testiculi dolor, tensio, tumor et quaedam durities: dolor iter funis *spermatici* secuturus, manuque premente auctus: venae *spermaticae* saepe varice tumefactae: actio ventriculi quodammodo turbata.

N. B.—Notatu dignum judico, hunc morbum saepe duo exempla *metastasis* medico exhibere: id est, quoties *Cynanchen parotidaeam* aut *Gonorrhoeam* sequitur.

CXXVIII. HYDROCELE.

DEFINITIO.—Plus aequo laticis inter tunicam VAGINALEM PROPRIAM et tunicam VAGINALEM REFLEXAM secretum.

SIGNA sunt; scroti tumor oblongus, pyro figura similis, sensim ascensurus; pene pellucidus; manu feriente, fluctuans; non quovis premente evanescens, nec tussi vel anima in pulmonem accepta ampliatus: testiculus in parte superiori et posteriori sentiendus: funis *spermaticus*, digito annulo exteriori canalis *inguinalis* admoto, percipiendus. Indoles *hydropica* non semper evidens.

N. B.—Membrana quae vulgo Tunica *Albuginea* vocatur duplex est: lamina interior testis propria non ex *peritonaeo* deducta fibrata est: exterior ex *peritonaeo* derivatur: eos sequor, qui illam *Albugineam*, hanc *Vaginalem propriam* nominant. Altera tunica ex *peritonaeo* ducta, quam testis inter transeundum per canalem *inguinalem* acquirit, recte Tunica *vaginalis reflexa* vocatur.

Variat pro ratione causae: prout scilicet enascitur,

a. Ex inflammatione praegressa; vel

b. Ex vitiis testiculi aut ejus venarum, sanguinis cursum impedituris.

N. B.—Quidam *Anasarcam scroti*, *Anasarcam funis*, et Hydropem *saccatum funis*, uti, *species Hydroceles* habent.

CXXIX. HAEMATOCELE.

Definitio.—Testiculus vel scrotum effuso cruore tumefactus.

Variat pro cruoris effusi sede; prout fundatur,

a. Intra tunicam vaginalem reflexam, —quod occurrere potest, ob venam sauciatam, inter laticem arte educendum, *hydrocele* tentatis; vel, jam educto latice, ob venam sua sponte diruptam: vel,

b. Intra tunicam albugineam,—plerumque ob testiculum ipsum contusum aliquave ratione violatum.

CXXX. SARCOCELE.

N. B.—*Sarcocelen* definire non in animo est: hac enim voce medici usi, alios alii, suum quisque, morbos designare volunt. Quidam ea utuntur, ad *scirrhum* ipsum testiculi significandum: at perperam, me judice. Quum vero permagni artis medicae interesse mihi videtur, quodque nomen rem unicam repraesentare, hanc vocem, "*Sarcocele*," non nisi ea genera *sarcomatis*, quae testiculus subire potest, indicare volo. (Vide SARCOMA, CCIV.)

CXXXI. VARICOCELE ATQUE CIRCOCELE.

DEFINITIO VARICOCELES.—Venae scroti varice amplificatae.

DEFINITIO CIRCOCELES.—Venae *spermaticae* varice amplificatae.

N. B.—Haec duo vitia saepe concurrunt: nec raro medici, nullo discrimine habito, has voces adhibent, ad idem malum designandum.

SIGNA sunt sensus ponderis ad scrotum et testiculum relatus: tumor durus et inaequalis, initio doloris expers; tandem dolor ad dorsum lumbos atque femur transiturus. Praeter haec, tumor, haud secus atque *hernia* oriundus, facile movetur, tussi et inspirando ampliatur, corpore supino et spiritu emisso contrahitur; necnon, manu sursum et extrorsum eum impellente, aliquamdiu pene evanescit. Quod si, hoc facto, medicus digitum annulo exteriori canalis *inguinalis* admovet, tumor mox sua sponte revertitur, non obstante digito; et inde facile ab *Hernia inguinali* dignoscitur: digitus enim annulo jam dicto impositus, etsi vis-

ceris reducti cursui obstet, funem *spermaticum* non eo usque opprimere potest, ut sanguinis motum impediat.

CXXXII. SCIRRHUS TESTICULI.

(Vide Definitionem Scirrhi et Carcinomatis, cc.)

Signa sunt, corporis habitu malo, valetudine fracta et aetate provecta, tumor testiculi durus, nodosus, saepe lividus: dolor ejusdem cruciantissimus, per funem *spermaticum* ad lumbos ascensurus: funis ipse tumidus, durus, nodis inaequalis: Dein ulcus pessimi generis, notis omnibus *carcinomatis* propriis instructum, nempe dolore urentissimo, malisque febris *hecticae* inveteratae propriis.

CXXXIII. SCROTI CANCER CAMINORUM MUNDATORES AGGREDI SOLITUS.

SIGNA.

Hoc malum caminorum mundatoribus infestum est, ob fuliginem, rem peracrem, inter scroti rugas celatam: ex ima scroti parte incipere consuevit: ibi pedetentim gignitur ulcus perquam dolens, generis pessimi, ad sanescendum tardum; margine aspero, duro et inaequali cinctum, late patescens; seriusque ocyus in *scirrhum* atque *carcinoma* testiculi ipsius desiturum.

CXXXIV. GONORRHOEA.

Definitio.—Inflammatio membranae mucosae *urethrae*, fluxum humoris, saepius puri similis, genitura, et plerumque tabe sui generis accensa.

SPECIES sunt,

a. PURA, id est, non praegresso concubitu impuro, humoris puri similis ex *urethrae* cursus, citra mingendi difficultatem, aut libidinem.

b. IMPURA, id est, praegresso concubitu impuro, humoris puri similis ex *urethra* cursus, flavi vel subviridis: porro ardoris inter mingendum sensus; urina crebro et difficulter excreta, cervicis vesicae pruritus, saepe ad colem usque summum tendens: *bubone sympathetico* aliquando futuro.

c. MUCOSA (Anglice, *Gleet*), id est, praegressa GONORRHOEA IMPURA, humoris ex *urethra* muco similis profluvium citra ardoris sensum aut mingendi difficultatem.

N. B.—Species Cullenianas, *laxorum* atque *dormientium*, praetermitto: humor enim excretus ex ipso semine potissimum constat, neque membranae *mucosae* inflammatio antecedit aut comitatur.

CXXXV. PHYMOSIS ET PARAPHYMOSIS.

DEFINITIO PHYMOSIS.—Praegressa GONORRHOEA ulcereve *syphilitico*, praeputium arctum, eo ut glans colis nudari nequeat.

Interdum hoc vitium cum homine nascitur.

DEFINITIO PARAPHYMOSIS.—Post GONORRHOEAM ulcusve *syphiliticum*, praeputium arctum non ultra extimam partem corporum *cavernosorum* colis trahendum, colis glande semper nudata.

CXXXVI. CONTRACTURA URETHRAE.

DEFINITIO.—Pars aliqua *urethrae* aequo angustior, saepius apud mares.

SPECIES sunt,

a. SPASMODICA, id est, quae fibris motricibus *urethrae spasmo* coarctatis innititur. Hinc, signa non continenter urgent, siquidem *spasmus* non perpetuo torquet: quoties adest, urinae cursus vel prorsus quiescit, vel difficilis est.

b. ORGANICA, id est, quae membrana *mucosa urethrae* crassiori nascitur, praegressa *gonorrhoea*, causisve irritantibus.

SIGNA CONTRACTURAE ORGANICAE sunt, urina parca, aegre et crebro reddita: ejusdem saepe rivus duplex, spiraeve similis: dolor parti *urethrae* sesqui pollicem a glande colis distanti infixus: sensus molestiae ad lumbos relatus: aliquando *gonorrhoea mucosa*.

MORBI INSTRUMENTORUM GIGNENDI MULIEBRIUM.

CXXXVII. HYSTERITIS.

DEFINITIO.—Saepe post partum, *pyrexia*, *hypogastrii* ardor, tensio, dolor: os uteri dolentissimum: vomitus: uteri purgationes nullae.

CAUSA CONTINENS.—Inflammatio uteri membranarum sive telae ipsius reticulatae.

CXXXVIII. AMENORRHOEA.

DEFINITIO.—Menstruorum cursus nullus.

SPECIES sunt,

a. EMANSIONIS : menstrua non aetate solita, id est, foemina pubescente, profusa. Vide CHLOROSIN, XXIV.

b. SUPPRESSIONIS ; menstrua non tempore solito reditura.

SIGNA SUPPRESSIONIS sunt multo saepissime, at non semper, notae corporis plenioris : dolor capitis, dorsi atque lumborum ; summa anxietas ; *dyspepsiae* notae ; sensus plenitudinis vel caloris apud mammas, atque circa uteri regionem : frequenter cursus sanguinis, scilicet *epistaxis*, vel *haemoptysis*, vel praesertim *haematemesis ;* tam arcto enim nexu, ventriculus cum utero committitur, ut vomitus sanguinis, prae alio quovis profluvio, menstruis suppressis supervenire soleat : aliquando *hysteria*.

N. B.—Quaesitu dignum est, cur *emansio* atque *suppressio menstruorum* signis inter se, magna ex parte, alienis, imo vero pene contrariis, persaepe stipentur ; *emansio,* uti jam notavi (XXIV), semper noxis infirmantibus proficiscitur. Contra, fieri potest ut menstrua validis et plenis supprimantur, admoto frigore, aliave noxa vasa uteri *spasmo* constrictura.

CXXXIX. MENORRHAGIA.

DEFINITIO.—Fluxus sanguinis ex utero; vel menstruorum aequo copiosior cursus.

SPECIES sunt,

a. RUBRA,—sanguinis cursus, vel menstruorum fluxus aequo copiosior in mulieribus non in utero gerentibus, nec puerperis.

b. ABORTUS,—sanguinis cursus, apud gravidas, scilicet, abortantes.

c. LOCHIALIS,—apud puerperas, uteri purgationes nimiae.

Caeteras *specierum* Cullenianarum abjicio.

SIGNA sunt dolor dorsi, lumborum et ventris: dolor circa uterum, qualis jam enixuris accidit: notae actionis ventriculi turbatae, praecipue nausea et vomitus: cursus vel menstruorum nimius, vel ipsius sanguinis. Praeter haec, corpore valido et pleno, vultus rubrior, arteriae concitatae, spirandique difficultas: contra, corpore debilitato, vultus pallidus; artus frigentes; animaeque defectio crebra.

CXL. LEUCORRHOEA.

DEFINITIO.—Humor puri subsimilis ab uteri vasis secretus, et per vaginam profusus, citra uteri fabricam vitiosam.

SIGNA.

Hic morbus interdum *Menorrhagiam* excipit: languidas et pallidas fere aggreditur; signa morbis fere omnibus

uteri communia plus minusve urgent; veluti dolor dorsi et lumborum, actioque ventriculi perturbata. Quinetiam, citra *gonorrhoeae* notas, aut inflammationis praegressae, humor albus, aut subviridis aut flavus, et subinde acer, per vaginam crebra effunditur.

CXLI. SCIRRHUS ET CARCINOMA UTERI.

(Vide cc.)

SIGNA sunt, apud foeminas aetatis provectae, atque *leucophlegmaticas*, os uteri crassius, durius, amplificatum: dolor circa uterum acerbus, regione *hypogastrica* pressa, auctus; porro alvi dejectione et urina reddita exasperatus: modo tumor, imposita manu sentiendus: pruritus cutis molestus: notae morbis uteri communes: demum *carcinomatis* indicia; nimirum, dolor acerbior et quasi urens; febris *hectica*, fluxusque saniei tenuis, foetidissimae, cruentae.

CXLII. HYDROPS OVARII.

DEFINITIO.—Ovarium in capsulam humore fere pellucido distentam conversum; vel in capsulas plures, modo clausas, modo inter se hiantes, humore plenas, conversum: simulque amplificatum.

SIGNA.

Hic morbus mulieres valetudine satis commoda usas, et aliis *hydropis* generibus vacuas, aggredi potest. Initio tumor sentitur, apud regionem *iliacam* dextram vel sinistram: qui tarde increscit et ascendit; inaequalis est, et manu percussus paululum fluctuat. Demum tumor ventrem pene universum occupat; aliquanto tamen obscurius fluctuat, quam *ascite* urgente. Spirandi difficultas parum

exercet, nisi morbo inveterascente: atque signa hydropis communia (L) vel penitus desunt vel non nisi leviter urgent.

N. B.—Ovaria interdum *hydatides* includunt (Vide CCVIII): quoque inflammationi, duritiei, *scrophulae*, aliisque vitiis non, aegra spirante, deprehendendis patent.

DE MORBIS CUTIS.

DISTRIBUTIO MORBORUM CUTIS VILLANIANA.

ORDO I. PAPULAE.

DEFINITIO.—PAPULA est tuber e cuticula ortum, perexiguum, acuminatum, margine inflammationis notas sibi praeferente instructum, raro humore plenum, aut suppurans; in furfurem abire solitum.

GENERA.—Strophulus, Lichen, Prurigo.

ORDO II. SQUAMAE.

DEFINITIO.—SQUAMA est pars cuticulae vitiosa, disjecta, dura, crassa, opaca, subalbida.

GENERA.—Lepra, Psoriasis, Pityriasis, Icthyosis.

ORDO III. EXANTHEMATA.

DEFINITIO.—EXANTHEMATA sunt rubores vix prominentes figurae variae, inaequaliter sparsi, spatiis interjectis decoloribus, in squamulas ex *cuticula* evoluta compositas, desitura.

GENERA.—Rubeola, Scarlatina, Urticaria, Roseola, Purpura, Erythema.

ORDO IV. BULLAE.

DEFINITIO.—BULLA est pars *cuticulae* magna, humore pellucido distenta.

GENERA.—Erysipelas, Pemphigus, Pompholyx.

ORDO V. PUSTULAE.

DEFINITIO.—PUSTULA est cuticulae pars exigua pure incluso prominens, margine inflammationis notas exhibente.

GENERA.—Impetigo, Porrigo, Ecthyma, Variola, Scabies.

ORDO VI. VESICULAE.

DEFINITIO.—VESICULA est *cuticulae* pars exigua orbiculata, humore distenta, vel pellucido, vel opaco: in furfurem, sive squamulas abitura.

GENERA.—Varicella, Vaccinia, Herpes, Rupia, Miliaria, Eczema, Aphtha.

ORDO VII. TUBERCULA.

DEFINITIO.—TUBERCULUM est tuber exiguum, durum, margine clare definito cinctum, vel *chronicum*, vel quadam ex parte suppuraturum.

GENERA.—Phyma, Verruca, Molluscum, Vitiligo, Acne, Sycosis, Lupus, Elephantiasis, Framboesia.

ORDO VIII. MACULAE.

DEFINITIO.—Cutis hic illic colorata praeter naturam, saepe ob fabricam vitiosam.

GENERA.—Ephelis, Naevus, Spilus.

PUSTULAE sunt quadruplicis generis:

a. PHLYZACIUM,—PUSTULA fere grandis, margine duro et orbiculato instructa, ruberrima, in crustam duram, subatram, crassam abitura.

b. PSYDRACIUM,—PUSTULA parva margine inaequali cincta, *cuticula* parum prominente, in crustam *laminosam* desitura; multae saepe concurrunt.

c. ACHOR est PUSTULA parva, acuminata, humore subflavo plena, in crustam tenuem, fuscam aut subflavam desitura.

d. FAVUS est PUSTULA, non acuminata, minus minens quam *achor*, humore magis viscido plena; margine inaequali et leviter inflammato praedita, in

crustam flavam, semipellucidam, *favo* similem (unde nominatur) abitura.

X. FURFUR est pars exigua *cuticulae* evoluta sive disjecta, praegressa levi cutis verae inflammatione, atque *cuticula* postea renovata.

Y. CRUSTA (Anglice SCAB) est natura dura et densa, quae ulcera cuti proxima obducit, et ex ulceris humore exsiccato conficitur. (Abjicio definitionem *crustae* a BATEMANO propositam).

Z. STIGMA est rubor cutis perexiguus, molem puncto similis, *cuticula* non prominente: multa *stigmata* coëuntia et lividi coloris, *petechiam* constituunt.

ORDO PRIMUS.—*PAPULAE.*

DEFINITIO.—Tuber e cuticula ortum; perexiguum, acuminatum, margine inflammationis notas sibi praeferente instructum; raro humore plenum aut suppurans, in furfurem abire solitum.

CXLIII. STROPHULUS.

DEFINITIO.—Apud tenellos propter dentitionem, aliave irritamenta meatui alimenti illata, PAPULAE variae figurae, coloris et magnitudinis, per cutem dispersae.

SPECIES sunt,

a. INTERSTINCTUS; tenellis scilicet bimestribus papulae ruberrime erumpunt, per genas et brachia sparsae, *stigmatibus* interstinctis, nempe ruboribus non prominentibus: valetudo parum turbari solet: interdum equidem nausea et alvi fluxus praegressa, canalem alimenti male se habere denuntiant.

b. ALBIDUS; qui *interstincto* non discrepat, nisi quod PAPULAE sunt albidae, exiguae, durae, et rubore minus saturo cinguntur; maximeque faciem, cervicem et pectus occupant.

c. CONFERTUS; qui praesertim numero PAPULARUM perinsigni indicatur: hae vero genas et frontem praesertim male habent, et minus laete rubent, quam *strophulo interstincto* praesente.

Huc accedunt *strophulus volaticus* et *candidus*. (Vide BATEMAN, § 5, 6.)

CXLIV. LICHEN.

DEFINITIO.—PAPULAE ubique fere corporis prodeuntes, in furfurem abiturae, non pestilentes; saepius eundem per vitae decursum aggredi solitae: adultis infestae, actionibus interioribus fere turbatis; necnon praegressis irritamentis alimenti meatui adhibitis.

SPECIES sunt septem; nempe, SIMPLEX, PILARIS, CIRCUMSCRIPTUS, AGRIUS, LIVIDUS, TROPICUS, atque URTICATUS.

CXLV. PRURIGO.

DEFINITIO.—PAPULAE ejusdem fere coloris, cujus cutis, insigniter prurientes, per totam corporis superficiem dispersae.

SPECIES sunt,

a. MITIS; cui PAPULAE sunt molles et laeves raro rubicundae, nisi frictione irritentur: ineunte aetate, vereque aut aestate incipiente, erupturae.

b. FORMICANS; quae gravior et pertinacior est; PAPULAE sane jam descriptis parum distant; at assidue pruriunt; aeger sensu insectorum repentium atque mordentium, vel acicularum incandescentium cuti infixarum, cruciatur.

c. SENILIS; quae senibus contingit; cuique PAPULAE grandiores sunt, minusque molestiae facessunt.

ORDO SECUNDUS.—*SQUAMAE.*

DEFINITIO.—Pars *cuticulae* vitiosa, disjecta, dura, crassa, opaca et subalbida.

CXLVI. LEPRA.

DEFINITIO.—SQUAMAE variae magnitudinis, fere semper subrotundae.

SPECIES sunt,

a. VULGARIS;—cui tubera, exigua, parum eminentia, subrotunda, nitida, subrubra erumpunt; prius laevia, dein squamis albis obtecta; margineque sicco et rubicundo cincta: admodum prurientia, aliquando dolentia. Artus prae aliis partibus initio efflorescere solent; praesertim, ubi ossa tegumentis tenuissimis obducuntur; exinde lumbi, pectus aliaeque trunci partes laborant. Facies aliquanto levius affici consuevit; nisi quod oculorum anguli exteriores, frons et tempora, squamas saepe exhibent. Si hic morbus gravior exercet, ungues frequenter crassescunt, opaci, subflavi, adunci; quod si mitior est, parum infert molestiae, pruritu excepto, qui aegro decumbente aut ambulante quaesitissimus fit.

b. APHOIDES;—cui SQUAMAE perexiguae, candidissimae artus solummodo infestant. *Lepra alphoides* longe mitior est, quam *vulgaris.*

c. NIGRICANS;—cui partes squamis subjectae nigricant aut livent, sero cruento saepe profuso. *Lepra nigricans* potissimum coeli vicissitudini opportunos, victuque malo, atque fatigatione contritos, infestat.

CXLVII. PSORIASIS.

DEFINITIO.—SQUAMAE inaequales, asperae, subjacentibus rubris; modo per cutem aequaliter sparsae; alias, hic illic, inaequaliter diffusae; secusque, ac, *Lepra* praesente, margine prominente

rubro, et ovato vel orbiculato vacuae; valetudine simul perquam turbata.

SPECIES sunt quatuor, scilicet, GUTTATA, DIFFUSA, GYRATA, et INVETERATA.

CXLVIII. PITYRIASIS.

DEFINITIO.—SQUAMAE tenues hic illic distributae; celeri passu vicissim evolvendae et renaturae, nunquam in *crustas* abiturae, neque exulceratione cutis verae stipatae; morbus non pestilens.

SPECIES sunt,

a. CAPITIS;—infantes aggredi solita (Anglice *Dandriff*), fronti, temporibus et occipiti potissimum infesta.

b. RUBRA,—seniorum fere propria, pruritu insigni comitante, atque valetudine multum turbata.

c. VESICOLOR;—quae praecipue circa pectus, et regionem ventriculi; et interdum, humeros atque brachia, erumpit.

d. NIGRA;—quae infantes in India Orientali natos, atque ad Britanniam trajectos, afficit: SQUAMAE nigricant, et per artus erumpunt.

CXLIX. ICTHYOSIS.

DEFINITIO.—Cuticula crassa, dura, aspera, pene cornea; tantum non squamea: laminis, alia ex alia, deciduis, SQUAMISque discretis et evidentibus, qua-

les *Leprae* atque *Psoriasi* contingunt, deficientibus ; nec perturbata valetudine.

SPECIES sunt, duae, SIMPLEX et CORNEA.

ORDO TERTIUS.—*EXANTHEMATA.*

DEFINITIO.—Rubores vix prominentes, figurae variae, inaequaliter sparsi, spatiis interjectis decoloribus, in squamas, i. e. *cuticulam* evolutam, desituri.

CL. RUBEOLA VULGARIS.

DEFINITIO.—Inflammatio membranae mucosae canalium spiritalium, contagio sui simili orta, semel aliquem affectura, secuturo rubore *exanthematico*, aspero, sui generis, et in squamas desituro.

SIGNA.

Hic morbus e *catarrhi* signis incipit ; qualia sunt, oculi rubri et illachrymantes, sternutamenta crebra, destillatio, tussis, vox rauca, spirandi difficultas.

Quarto die vel paulo serius, erumpunt rubores exigui, conferti, vix prominentes, triduo exacto in squamas furfuri similes abituri.

Circa finem, alvi fluxus frequenter supervenit, inflammationi membranae mucosae intestini tribuendus (XCVII) ; nec raro accedunt morbi pulmonis, veluti *Pneumonia*, *Phthisis ;* vel *Ophthalmia.* Aliquando *Phlegmone* hunc morbum sequitur, pure malo et foetidissimo exinde facto.

Rubeola sine catarrho a Willano interdum accidere memoratur; discrepat a *Rubeola vulgari*, quod desunt *pyrexia*, *catarrhus*, *ophthalmia*, etsi cutis similiter efflorescit. Hinc satis constat *pyrexiam*, quae *Rubeolam vulgarem* comitatur, inflammatione membranae canalium spiritalium exoriri: id est, *catarrhum specificum* radicem esse, unde caetera mala *Rubeolae vulgaris* propria enascuntur.

Rubeola nigra vulgari discrepat, quod cutis non ante diem VIImum aut VIIIvum rubescere incipit, potiusve livere. *Rubeola* hac forma donata, corporis habitu malo debilique inniti videtur.

CLI. SCARLATINA.

Definitio.—Inflammatio membranae mucosae oris, faucium et linguae, contagio sui simili accensa, et non nisi semel aliquem correptura, rubore cutis saturrimo plerumque secuturo.

N. B.—Haec definitio omnibus *Scarlatinae speciebus* satis mihi convenire videtur, quamvis haud ullam clare depingit. Haud sane nescio Cullenum negare *cynanchen Scarlatinae simplici* subesse: quem tamen errare manifestum est; fauces enim semper plus minusve rubent, etsi non exulcerentur, vel *Scarlatina simplici* tentatis. Facies multiplex *Scarlatinae* hanc, ni fallor, rationem accipit.

Proprium est ejus nulli aetati, aut corporis habitui parcere, sed fere omnes pariter adoriri: quinetiam, membrana oris, linguae et faucium semper est ejus prima sedes: exinde inflammatio demum ad cutem serpit; id est, cutis efflorescit. Hujus morbi cum aliis quibusdam commune est, quanto vali-

dior sit aeger, quantoque corporis habitu meliori fruatur, tanto magis cutem rubescere, tantoque minus inflammari membranam mucosam.

Habitu igitur bono fauces quam levissime inflammantur, cutisque valde rubet: id est, *Scarlatina simplex* constituitur.

Habitu corporis minus felici, fauces gravius inflammantur et exulcerantur, cute simul haud parum rubente: id est, *Scarlatina* fit *anginosa.*

Habitu malo, viribusque fractis, fauces gravissimam et malignam inflammationem subeunt, cutisque non nisi livores paucos hic illic dispersos ostendit: scilicet, *Scarlatina* est *maligna.*

Denique, VILLANUS affirmat, fauces unicas interdum laborare, cute non efflorescente, ob habitum corporis pessimum: quod malum *Cynanchen malignam* appello. Ne autem nominibus decipiamur, non oblivisci oportet, *Cynanchen malignam Cullenianam* eum esse morbum, quem hodierni *Scarlatinam malignam* appellant.

a. SIGNA SCARLATINAE SIMPLICIS sunt *pyrexia*, rubor oris, faucium et linguae saturior: papillae linguae plus aequo prominentes: vorandi difficultas levis aut nulla.

Die secundo seriusve rubor saturrimus per faciem et cervices, atque, horis exactis XXIV, per totam summam cutem diffusus, e *stigmatibus* innumeris tandem coituris compositus: triduo exacto decessurus, et in squamas furfuri similes abiturus: porro, facies tumida, et calor ingens.

N. B.—Rite curata periculo fere vacat: *Anasarca* tamen saepe eam excipit.

b. SIGNA SCARLATINAE ANGINOSAE sunt, *pyrexia* vehementior, oris, faucium et linguae dolor, saturrimusque rubor: glutiendi difficultas: saepe amygdalarum, palati mol-

lis et *pharyngis* exulceratio; modo cervicis rigor ejusque glandulae tumefactae: spirandi difficultas, summa cutis ardentissima; interdum delirium:

Tertio fere die, rubores, minus coituri, quam *Scarlatina simplici* tentante, hic illic passim diffusi, plerumque in squamas, at paulo serius, desituri: vires simul plus minusve fractae.

N. B.—*Anasarca* supervenire consuevit die circiter septimo vel octavo, post cutem deflorescentem. *Scarlatina anginosa* longe periculosior est, quam *simplex*.

c. Signa Scarlatinae malignae sunt *pyrexia*, amygdalarum, palati et linguae color purpureus, necnon ulcera ambitu livido cincta, crustisque caeseis obducta, quae detersae illico renascuntur: glutiendi et spirandi difficultas; calor minus intentus, quam *Scarlatina simplici* et *anginosa* urgentibus, et insignis virium animi atque corporis resolutio:

Porro die secundo vel tertio livores hic illic inaequaliter diffusi, in squamas desituri: serius ocyus persaepe gangraenae viriumque lapsarum notis superventuris: quales sunt *petechiae*, stupor, delirium, alvus animi injussu fusa, cutis gelido sudore madefacta, singultus assiduus, tremor, tendines digito subsilire percepti.

d. Signa Cynanches malignae non ab iis Scarlatinae malignae propriis discrepant, nisi quod cutis non efflorescit: morbus est periculosissimus.

N. B.—Inter *Scarlatinam* omnigenam describendam, eam vocem, *Maculae*, praetermisi: non quod non satis convenit; sed quod Batemanus, cujus ordinibus utor, eandem adhibet, ad ordinem proprium designandum, qui *Scarlatinam* non amplectitur.

CLII. URTICARIA.

DEFINITIO.—Partes *cuticulae* orbiculatae vel oblongae prominentes, apicibus albidis instructae, rubore circumdatae; nec ei vitio absimiles, quod cute urticis violata nascitur. Morbus non pestilens.

SPECIES sunt,

a. FEBRILIS; quae his notis indicatur: scilicet, praegressis *pyrexia*, nausea, capitis dolore, dormiendi cupiditate, nec raro ipsa *syncope*, cutis vitium jam definitum erumpit, interdiu evanescere, vesperi redire solitum; cutis simul ardet, atque vehementer prurit; actioque ventriculi multum turbatur, praesertim cute jam deflorescere incipiente.

b. EVANIDA; scilicet, URTICARIA CHRONICA vel diutina; id est, per multas hebdomadas vel menses, invicem accessura et decessura, pro ratione coeli, victus et vitae. Febris raro adest, nec valetudo incommoda est. Rubor aliquanto levior medios apices circumdat.

c. PERSTANS, ab EVANIDA eo differt, quod apices albidi aliquamdiu permanent, postquam rubor circumjectus evanuerit: duas tresve hebdomadas perstant; corporeque calefacto, pruriunt.

d. CONFERTA: cui apices albidi quam plurimi sunt, et hic illic coëunt, rubore insigni circumdante, atque pruritu assiduo.

e. SUBCUTANEA; nimirum, cutis non solum prurit, verum etiam subinde dolore et molestia quae-

sitissimis tentatur, quales aciculis violata subit: haec signa initio unicae parti cruris aut brachii insident: dein latius patent; nec nisi hisce malis jam diu commoratis, *urticaria* demum erumpit, et biduum triduumve permanet. Dolor *epigastrii* et *spasmus* surarum crebro vexant.

f. TUBEROSA: cui apices albidi *urticariae* proprii grandes et duri fiunt: vitium scilicet altius descendit, dolorem acerbum ciet, artusque motum impedit. Lumbi, femora et crura potissimum efflorescunt; praesertim noctu; maneque deflorescunt: partibus affectis deinde languidis atque dolentibus.

CLIII. ROSEOLA.

DEFINITIO.—*Pyrexia* levis, rubores cutis coloris rosei, figurae variae, non eminentes: morbus *symptomaticus*, non pestilens.

SPECIES sunt,

a. AESTIVA: quae aestate fere erumpit, mulieresque irritabiles prae aliis invadit: initio, facies et cervix, dein aliae partes rubent; simulque pruriunt et ardent: neque non membrana faucium mucosa interdum colore roseo floret.

b. AUTUMNALIS: quae autumno infantibus accidit: rubores nummos argenteos mole et figura similant; brachia male habent; elapsisque diebus fere septem, in squamas abeunt.

c. ANNULATA: cui rubores annulos figura referunt.

d. INFANTILIS: cui rubores sunt admodum conferti, spatiisque minoribus invicem disjunguntur, quam URTICARIA AESTIVA opprimente. Tenellos jam dentientes, alvo simul abnormi, aggredi consuevit.

e. VARIOLOSA: quae *variolam* comitatur; et apparet paulo antequam cutis hac efflorescere coeperit: felicique indicio habetur: siquidem *variola* hac stipata mitis esse solet, necnon periculi expers.

f. VACCINA: quae *vaccinae* accedit; nonoque die post virus insitum brachium afficit; *vesiculam*que *vaccinae* propriam cingit.

g. MILIARIS: quae cum *miliaria* sociatur: id est, cutis *vesiculis miliarianis*, circumjecto colore roseo, floret: comitante *pyrexia*.

CLIV. PURPURA.

DEFINITIO.—*Petechiae* per cutem dispersae fere citra febrem, valetudine interdum fracta.

SPECIES sunt,

a. SIMPLEX: quae indicatur languore et vultu lurido, et saepe dolore artuum, cum *petechiis* sociatis: pectus, brachia et crura praesertim efflorescunt. Hae *petechiae* livores, quos pulices mordendo cuti afferunt, haud parum simulant. Pruritus deest.

b. URTICANS: quae, jam iniens URTICARIAM refert: id est, partes exiguae *cuticalae* prominent, rotundae et subrubrae; at citra pruritum et ardo-

ris sensum : biduo fere exacto, hae planae et lividae fiunt ; nimirum, in *petechias* vertuntur.

c. SENILIS : quae vetulas invadit : diuque perstat ; brachio praecipue infesta.

d. CONTAGIOSA : quae *petechias typhi* atque aliarum febrium proprias complectitur.

e. HAEMORRHAGICA.

N. B.—Quum PURPURA HAEMORRHAGICA morbus est perquam notabilis, pluriumque medicorum summi nominis ingenium torsit et fefellit ; paulo fusius ejus signa exponam.

PURPURA HAEMORRHAGICA.—DEFINITIO. *Petechiae* per cutem sparsae, manu premente non evanescentes ; interdum in *vesiculas* conversae : sanguis sua sponte apud membranas mucosas (subinde quoque *serosas*) profusus : *pyrexia* nulla : vires non semper fractae.

SIGNA PURPURAE HAEMORRHAGICAE.

Hic morbus nulli aetati, neutri sexuum, nulli corporis indoli habituive parcit ; adeo ut ejus causae abditae haud secus atque excitantes, perobscurae sint : *petechiae* prius erumpunt, quam reliquae notarum prodeant : quibus pressis, imo vero leviter tactis, cruor effluit. Initio crura ; postea, incerto tempore exacto, femora, brachia, pectus, dorsum et venter, purpurascunt. Facies plerisque integra est. *Petechiae* non semper livent ; sed ex lividis saepe fuscae aut flavae fiunt (id quod *ecchymosis* persaepe exhibet) vel resorpta cute vera, in VESICULAS vertuntur. Magnitudine variant : modo tantae sunt, ut pulices cutem momordisse videantur : modo perexiguae sunt.

Sanguis simul sua sponte apud membranas mucosas

erumpit; nimirum, e gingivis, faucibus, naribus, alimenti meatu, urinae canali fistulisque spiritalibus, effluit.

Ineunte hoc morbo, plerisque signa corporis plenioris adsunt; nempe, pulsus arteriarum crebri et validi, doloresque viscerum atque artuum: neque vires antea delabi incipiunt, quam sanguinis multum jam effluxerit.

PURPURA HAEMORRHAGICA mortem ratione multiplici infert: interdum viribus per sanguinis cursum conterendis: alias, strangulando, per cruorem in animae fistulas profusum: modo *apoplexia* inferenda, ob cerebrum ipsum cruore fuso pressum: modo, febre *hectica* superventura, ob cruorem fusum vitiosum futurum, habitumque corporis malum.

N. B.—Quoniam hic morbus neque causas *scorbuti* agnoscit, nec iisdem cedit remediis, nec signa communia habet, *petechiis* et cursu sanguinis exceptis, manifestum est, haec duo mala inter se prorsus aliena esse.

CLV. ERYTHEMA.

DEFINITIO.—Pyrexia; rubor alicujus partis cutis plus minusve diffusus, citra tumorem, valetudine simul perturbata: morbus non pestilens.

CAUSA CONTINENS est inflammatio cutis verae levior.

SPECIES sunt,

a. FUGAX; per brachia, cervicem, pectus et faciem diffusum, et cito abiturum.

b. LAEVE, artubus inferioribus praesertim infestum: artus universus aequaliter rubet, et fere aqua

intercute simul tumet: hoc malum *cuticula* in squamas abeunte finitur. Si seniores invadit, ad gangraenam admodum proclive est.

c. MARGINATUM, quod artus et lumbos senum afficit. Rubor, ex una parte marginem habet durum, elatum, anfractuosum et rubrum; ex altera, ambitum ostendit obscurum et vix discretum.

d. PAPULATUM: quod exhibet quasi PAPULAS rubras brachiis, pectori et cervici inspersas, valetudine maxime perturbata.

e. TUBERCULATUM, PAPULATO simile est nisi quod ruboribus immisceri solent tubercula; quae, septem circiter diebus exactis, evanescunt.

f. NODOSUM, quod foeminarum proprium partem eruris anticam aggreditur. Rubores sunt ovati, atque indurescunt et tument.

N. B.—Quamvis ordinibus Villanianis utor, eos erroris haud esse immunes existimo. BATEMANUS non ignorat ERYTHEMA atque ERYSIPELAS gradu solummodo inter se discrepare: quum tamen ERYSIPELAS BULLAS gignit, hoc ORDINI, BULLAE, subjecit; ERYTHEMA ORDINI, EXANTHEMATA. CULLENUS contra contendit utrumque BULLAS movere; quas equidem PHLYCTAENAS vel VESICULAS nominat: id vero interesse, febrem *idiopathicam*, et cerebri actionem turbatam, cutis ruborem antecedere, *Erysipelate* tentante: nullam vero febrem *Erythema* comitari, nisi quam rubor ipse, id est, inflammatio cutis verae, movet. Hasce componere lites meum non est.

ORDO QUARTUS.—*BULLAE.*

DEFINITIO.—Pars *cuticulae* magna humore pellucido distenta.

CLVI. ERYSIPELAS.

DEFINITIO—Pyrexia vehemens: alicujus partis rubor saturior, ardor, dolor et tumor: rubor et tumor late diffusa, ambitu inaequali cincta; demum in BULLAS desitura: dolor non *pulsatilis*; rubor, digito premente evanescens, mox digito sublato rediturus.

CAUSA CONTINENS est inflammatio cutis verae vehemens, BULLAS motura, et saepe altius diffundenda.

SPECIES sunt,

a. PHLEGMONODES; *b.* OEDEMATODES; *c.* GANGRAENOSUM; et *d.* ERRATICUM.

a. SIGNA ERYSIPELATIS PHLEGMONODIS.—Facies prae aliis partibus efflorescit: modo equidem artuum unus. *Pyrexia* gravissima antecedit et comitatur: rubor saturior est ardorque quaesitior, quam quae caeteris SPECIEBUS contingunt. Die secundo tertiove, tumor incipit: BULLAE quarto et quinto apparent, sextoque dirumpuntur vel abeunt: dein pars affecta ex rubra flavere coepit, et detumescit, quiescente febre. Die fere decimo, cuticula novatur. Si juvenes tentantur, cursus mali citior est. Interdum suppuratio accedit.

b. Signa Erysipelatis oedematodis.—Hoc levius est: tumor tardius apparet; cutis minus calet et rubet, potiusve colorem flavo-fuscum induit: simul nitet, vestigiumque digiti impressi aliquamdiu retinet. Bullae plures et minores sunt: dieque tertio vel quarto post ineuntem tumorem, apparent.

c. Signa Erysipelatis gangraenosi.—Hoc valetudinem fractos aggreditur. Febris maligna delirium, et stupor comitantur: partes affectae livent: bullaeque exiguae marginibus lividis circumjectae, saepe in exulcerationem malam desinunt. Neque hoc malum sanitate finitur, nisi praegressa suppuratione exitiosa, vel gangraena musculorum, tendinumque. Interdum infantes hoc malo corripiuntur; praesertim in valetudinariis, quae gravidis accipiendis accommodantur.

d. Signa Erysipelatis erratici.—Rubor hic per totum corpus ita erumpit, ut partes aliae ex aliis tententur. Octo vel decem diebus exactis, feliciter solvi consuevit.

N. B.—Nullus dubito quin *Erysipelas* alias quoque formas sibi adsciscere possit: est enim morbus, *Scarlatinae* instar, nulli corporis habitui proprius.

CLVII. PEMPHIGUS.

Definitio.—Pyrexia: valetudo plus minusve turbata. Die incerto, bullae avellanis figura et magnitudine similes, oblongae, humore subflavo vel tenui plenae, rubore circumjecto: paucos dies mansurae: diruptae tandem humorem tenuem effusurae: pruritus cutis.

CLVIII. POMPHOLYX.

DEFINITIO.—Pyrexia levis vel nulla: BULLAE minores quam PEMPHIGI propriae, non rubore circumfusae; variae magnitudinis: aliae ex aliis invicem erupturae: quae, paucis diebus exactis, diruptae ad sanitatem spectant. Pruritus.

SPECIES sunt,

a. BENIGNUS, qui indicatur BULLIS pisa mole aequantibus, et cito sanescentibus.

b. DIUTINUS, qui debilitatos aggreditur: scilicet, *pyrexia* et signis valetudinis turbatae praegressis, erumpunt PAPULAE rubrae, in BULLAS pellucidas abiturae; diuque mansurae.

c. SOLITARIUS, qui mulieres unicas invadit: scilicet, una ampla BULLA apparet, horisque quadraginta octo exactis dirupta in exulcerationem abit: quam proxime partem affectam, nova BULLA erumpit, eundem habitura cursum.

ORDO QUINTUS.—*PUSTULAE.*

DEFINITIO.—*Cuticulae* pars exigua pure incluso prominens, margine inflammationis notas exhibente. (Vide VARIETATES, p. 119.)

CLIX. IMPETIGO.

DEFINITIO.—Citra *pyrexiam*, PUSTULAE, qua-

les *psydracia* nominantur (Vide p. 119) per artus praecipue diffusae: morbus non pestilens.

SPECIES sunt,

a. FIGURATA; quae indicatur *psydraciis* confertis, flavis, rubore levi cinctis, parum prominentibus, nec acuminatis. Paucis diebus, *psydracia* dirumpuntur et humorem fundunt: cutis tunc rubet et saniem profundit: qua siccata, fiunt crustae flavae sive virides.

b. SPARSA: quae eadem signa exhibet, nisi quod *psydracia* non conferta sunt; sed hic illic inaequaliter per varias partes diffunduntur.

c. ERYSIPELATODES: quae multum ERYSIPELAS simulat: faciem praesertim infestat: dignoscitur tamen *psydraciis* evidentibus rubori immixtis.

d. SCABRIDA: quae artuum unum fere vitiat; scilicet, *psydracia* pene innumera hunc tegunt; ex quibus ruptis effluit humor, in crustam toti artui circumjectam vertendus; haud secus atque cortex arboris lignum cingit.

e. RODENS: quae *carcinomati* affinis esse videtur: humor *psydraciis* inclusus peracer est: vitiumque paulo altius serpit, dolorem acerbissimum geniturum.

CLX. PORRIGO.

DEFINITIO.—Citra *pyrexiam*, PUSTULAE, quae FAVI et ACHORES nominantur. (Vide p. 119. definitionem harum vocum, FAVUS, ACHOR.)

SPECIES sunt,

a. LARVALIS, vel TINEA, vel CRUSTA LACTEA: quae his designatur signis. Frontem et genas ACHORES plurimi, exigui et subalbidi tegunt, rubentibus interjectis partibus: ACHORES dirupti humorem viscidum fundunt: qui concretus in crustas subflavas vel subvirides convertitur: demum vitium per totam faciem celeriter serpit; quam, naso et palpebris exceptis, crusta una, larvae instar, obducit: crustis decidentibus, *cuticula* rubra et tenerrima apparet. Aures et calvariae integumenta demum mali participia fiunt: pruritus est insignis: glandes cervicis interdum intumescunt: capilli decidunt: et infantes imbecilli hoc morbo affecti interdum febre *hectica* et macie lenta superventuris, serius ocyus absumuntur.

b. FURFURANS: qua urgente, ACHORES parvi sunt, et parum humoris fundunt; in crustas furfuri similes vertendi. Calvariae integumenta vitiare solet: quae multum pruriunt atque dolent; pili quodammodo decidunt: adultique praesertim affici consueverunt.

Huc accedunt *c.* LUPINOSA; *d.* SCUTULATA, (Anglice, RINGWORM OF THE SCALP); necnon *e.* DECALVANS. (Vide BATEMANUM.)

CLXI. ECTHYMA.

DEFINITIO.—PHLYZACIA invicem discreta, raro crebra, fere nulla *pyrexia:* morbus non pestilens.

SPECIES sunt,

a. VULGARE:—quod periculo vacat, et ex PHLYZACIIS exiguis atque duris aliquam partem artuum aut cervicis tegentibus constat. Quatuor diebus exactis, PHLYZACIA maturescunt: dein dirupta pus effundunt; quod concretum in crustas fuscas convertitur, relicta nulla omnino cicatrice.

b. INFANTILE:—quod infantes languidos, nondum uberibus maternis subductos, tentat. PHLYZACIA, ita ut jam descripsi, erumpunt, nisi quod simul atque cursum in aliqua parte expleverint, caterva nova alicubi summae cutis apparet, tota fere superficie interdum efflorescente. Aliquando hoc malum plures menses durat, *pyrexiae* fere expers, et quadam PHLYZACIORUM in ulcera mala atque alta abeunt, cicatrice superstite vix unquam delenda.

c. LURIDUM.—Hoc praesertim PHLYZACIIS margine livido, duro et prominente instructis dignoscitur. Grandiora sunt quam ECTHYMATE VULGARI aut INFANTILI urgente: totamque summam cutem praeter faciem, occupare possunt: prae aliis ad senium vergentes, et vino, gula aliundeve fracti huic malo patent: quod diutinum est, et ulcera foeda persaepe gignit.

d. CACHECTICUM:—quod *Syphilidem* haud parum simulat. Incipit e *pyrexia* gravi: triduo fere elapso, PHLYZACIA margine duro et rubro cincta aut pectus aut artus obducunt. Indies his nova, alia aliis, superveniunt: tandem vero cutis fere universa PHLYZACIA exhibet, alia jam ineuntia,

alia maturata, alia in crustas aut ulcera jam conversa. Cutis efflorescens febrem mitigat, non tollit: febris *hectica* pene assidua exardet: vires animi et corporis languent: artus dolent, actioque ventriculi multum turbatur. Persaepe *ophthalmia* torquet: modo fauces inflammantur et exulcerantur. Duos, tres aut quatuor menses hoc malum perstat. Eo usque *Syphilidem* refert, ut, aegri vita praegressa cognita, potius quam signis ipsis perpensis, dijudicare liceat.

CLXII. VARIOLA.

DEFINITIO.—Inflammatio sui similis membranae mucosae ventriculi, gulae et faucium, tabo sui generis exorta, febrem accensura; demumque in tubera *phlegmonoidea* per cutem sparsa desitura; quae postea suppurantia PUSTULAE vocantur.

N. B.—Hanc definitionem esse causam continentem fateor; nec facile est paucis verbis accurate sic VARIOLAM definire, ut ejus signa propria memorentur.

a. SIGNA VARIOLAE DISCRETAE.—Hic morbus e *pyrexia*, capitis dolore, vomitu, dolore circa ventriculum, manu opprimente moto vel aucto; et aliquando, nervorum distensionibus incipit.

Tertio die erumpunt tubera exigua, rubra, *phlegmonoidea*, prius circa faciem; deinde cervices, pectus, brachia, ventrem, artusque inferiores: prius, facies et dein manus et pedes, multum intumescunt. Quinto die, universa cutis efflorescit; simulque febris quiescit. Exactis diebus octo, tubera suppurant, PUSTULAEque vocantur, quae discretae

sunt, prominent, humore flavo plenae, et margine rubro instructae. Triduo fere postea, facies detumescit, PUSTULISque diruptis, pus effluit, et exsiccatum in crustas convertitur; cicatricibus altis saepe per vitam integram mansuris. Glutiendi difficultas nunc urget; os saliva scatet, alvusque fluit: quae signa sanitate brevi finiri solent.

Non raro *pneumonia*, *ophthalmia* aliive morbi istiusmodi *variolam* excipiunt.

b. SIGNA VARIOLAE CONFLUENTIS.—VARIOLA CONFLUENS e *pyrexia*, vehemente et maligna, notisque virium lapsarum incipit: PUSTULAE citius maturescunt, quam *Variola discreta* urgente, minus eminent, concurrunt, humoremque acrem et fuscum, potiusquam puri similem, continent. Quinetiam, febris non cessat, cute universa efflorescente; at perstat, nihilo fere levior. Facies, manus atque pedes multo minus intumescunt, quam *variola* discreta torquente: necnon persaepe tandem accedunt multae notarum, quae *typhi* partem tertiam insigniunt: nimirum, delirium, stupor, PUSTULAE nigricantes, *petechiae*, sudor gelidus, artus frigidi, singultus, tendines, digito imposito subsilire percepti: quae saepius fatum in propinquo esse testantur.

N. B.—*Variola discreta* et *confluens* sunt unicum adversae valetudinis genus; non duo, inter se quod ad ortum diversa: pus enim ipsissimum, quod brachio arte insitum hunc *Variola discreta* implicat, facit ut ille *confluente* implicetur. Corporis igitur habitus, viriumque ratio unico sunt fonti duplicis hujus morbi faciei.

Quod ad *pustulas variolosas*, sunt non nisi abscessus sui generis. Maturatae ex pure inter *cuticulam* et capsulam ex *fibrina organica* confectam intercluso constant: cutis vera enim jam absorpta evanuit. Hinc patet, cur cicatrices altae diu perstent: cutis nimirum nunquam per vitae reliquam

partem penitus renascitur. Crustas denique non ex *cuticula* evoluta, sed ex pure desiccato confici, hinc docemur: quod aqua eas dissolvendo habilis est; atque liquor inde factus arte insitus *variolam* movere potest.

CLXIII. SCABIES.

DEFINITIO.—Tubera perexigua generis ancipitis, sic ut initio dubitetur, PAPULAE sint an VESICULAE, an PUSTULAE; tandem vero in PUSTULAS evidentes abitura: per totum corpus, excepta facie, dispersa, maximeque natibus et articulorum finibus infesta: pruritus insignis: morbus semper pestilens.

SPECIES sunt,

a. PAPULIFORMIS; quae VESICULAS exhibet prurientes, subrubras et acuminatas, carpis, digitis et *Epigastrio* inspersas, PHLYZACIIS pure flavo et crasso refertis mistas. Aegro noctu decumbente, pruritus ingravescit.

b. LYMPHATICA; quae VESICULIS latice tenui plenis, nec rubore cinctis indicatur; praesertim axillis, natibus et cubitis inspersis; PUSTULIS simul immixtis.

c. PURULENTA; quae PUSTULAS habet turgidas, discretas, flavo humore distentas, atque rubore circumdatas. Hae vero digitos manuum et pedum, manuum pollices, carpos; et postea axillas, dorsum, humeros, nates, infestant.

d. CACHECTICA; quae est non nisi SCABIES, corpore debilitato habituque malo mutata. Saepe

igitur caeteras omnes SPECIES quodammodo simulat.

ORDO SEXTUS.—*VESICULAE.*

DEFINITIO.—*Cuticulae* pars exigua, orbiculata, humore distenta, vel pellucido, vel opaco, in furfurem, vel squamas abitura.

CLXIV. VARICELLA.

DEFINITIO.—*Pyrexia*, deinde tubera parva rubra et nitida cuti inspersa; quae die secundo in centro VESICULAS pellucidas exhibent, die tertio humore flavo distentas; dieque quinto vel sexto in squamas abituras: cicatricibus non relictis. Morbus pestilens.

SPECIES sunt,

LENTICULARIS, CONOIDEA, atque GLOBATA: quae inter se, praesertim, quod ad VESICULARUM figuram differunt.

N. B.—Eam vocem PAPULAE, qua, in definienda VARICELLA, Cullenus utitur, praetermisi: quoniam Primum ORDINEM VILLANIANUM designat.

Probabile est VARICELLAM a VARIOLA gradu potius quam genere et natura distare: quoties enim VARIOLA VACCINIAM sequitur (id quod subinde accidit) VARICELLAE quam simillima est. Hinc

conjicio VARICELLAM esse quasi VARIOLAM mitiorem. Hinc patet, quam sit difficile morbos cutis ulli distributioni *nosologicae* erroris vacuae subjicere.

CLXV. VACCINIA.

DEFINITIO.—Post virus insitum, VESICULA rubra, sensim usque ad diem octavum aut decimum ruborem saturiorem exhibitura; centro concavo praedita, margine duro turgidoque cincta; favi instar, e multis cavernis perexiguis, alia in aliam, hiantibus, laticeque tenui plenis, composita: die undecimo vel decimo *areola* cingenda: et exinde arescens, in crustam fuscam convertenda.

CLXVI. HERPES.

DEFINITIO.—Praegressis *pyrexia*, pruritu, partis dolore, VESICULAE crebrae, inaequaliter sparsae, aliae ex aliis pede celeri erupturae, rubro margine cinctae, humore prius pellucido, dein opaco et albo plenae, saepius in squamas, sive crustas, modo in exulcerationem desiturae: inflammationis notis, secus atque *erysipelate* urgente, non VESICULAS antecedentibus: morbus non pestilens.

SPECIES sunt,

a. PHLYCTAENODES; qui praesertim indicatur quam plurimis VESICULIS exiguis, congregatis, et corymbum referentibus: dein acervi novi, alii ex

aliis, enascuntur, speciem corymborum novorum sibi praelaturi.

b. ZOSTER; qui VESICULAS habet zonam vel cingulum referentes, trunco corporis fere inspersas; atque Anglice, *Shingles*, nominatur. Zonae plurimae, alia ex alia, prodeunt.

c. CIRCINATUS; Anglice, RINGWORM; qui VESICULAS ostendit ita congregatas, ut quisque acervus circulum figura simulet. Initio, circuli ambitus unicus VESICULIS efflorescit, spatio medio decolori; quod tamen postea, asperum et subrubrum fit. Infantes prae aliis huic malo patent.

d. LABIALIS; qui VESICULIS annulum, vel partem annuli dimidiam repraesentantibus, circa labia sparsis, continetur. Labia rubent, indurescunt, tument et dolent.

e. PRAEPUTIALIS; quae denuntiatur VESICULIS, *herpetis* notas communes sibi praeferentibus, praeputio inspersis.

f. IRIS; qui designatur VESICULIS plurimis ita distributis, ut annulos complures variorum colorum, alium alio, inclusos, umbonemque medium cingentes, repraesentent: manuum digitis praesertim infestus est.

CLXVII. RUPIA.

DEFINITIO.—VESICULAE latae, parum gibbae, non confluentes, levi rubore circumfusae: diutinae: demum saniem fusurae acrem: qua concreta, fiunt crustae tenues; brevi renaturae, quoties frictione tolluntur.

SPECIES,

a. SIMPLEX; quae constat e VESICULIS initio pellucidis, demum humore puri simili plenis: postea, exulceratione facta, sanies effluit: et cutis subatra, morbo sanato, perstat.

b. PROMINENS; quae crustis, conorum instar prominentibus, paulatim VESICULAS sequentibus, indicatur.

c. ESCHAROTICA; quae infantes et pueros habitu malo praeditos, et morbis praegressis infirmatos, invadit. VESICULAE, scilicet, lumbis et artubus inferioribus praecipue inspersae, saniem acerrimam includunt; unde nascuntur ulcera foeda, ad gangraenam admodum propensa.

CLXVIII. MILIARIA.

DEFINITIO.—Praegressis pyrexia, sudore olido, cutis pruritu, ardoris et titillatus sensu, suspiriis crebris, atque valetúdine multum turbata: VESICULAE per cervicem, dorsum et pectus diffusae, miliis, quod ad magnitudinem et colorem, haud absimiles: humore prius pellucido, dein opaco repletae, et rubore cinctae; demum in squamas leves abiturae.

N. B.—Miliaria fere semper aliis morbis *symptomatica* accedit; quales sunt, *Phthisis pulmonalis*, *Peritonitis puerperarum*, *Rheumatismus*, &c. Sudore nimio deberi, et remediis, quae facultate refrigerandi, ideoque sudoris compescendi pollent, cedere consuevit.

CLXIX. ECZEMA.

DEFINITIO.—Citra *pyrexiam*, VESICULAE, exiguae, confertae, per partes varias diffusae; nullo rubore cinctae, valetudine simul parum laesa; morbus non pestilens.

SPECIES sunt,

a. SOLARE; quod aestivo tempore accedit, coeli ardori debitum: facies, cervix, cubiti aliaeve partes aëri circumfluo objici solitae, prae aliis, his VESICULIS efflorescunt; praegresso ardoris sensu.

b. IMPETIGINODES; quod IMPETIGINEM refert, nisi quod PUSTULIS ipsis vacat. Dolor, ardor, et pruritus insignis adsunt: ruptisque VESICULIS, latex acer effluit.

c. RUBRUM; quod saepe usu *hydrargyri* intempestivo nascitur: VESICULAS antecedunt et comitantur, ardor, pruritus, rubor: scrotum, inguina, axillae et articuli, huic malo maxime patent.

CLXX. APHTHA.

DEFINITIO.—VESICULAE albidae, exiguae, per linguam, os, fauces, interdum per universum alimenti meatum distributae: demum diruptae, in ulcera non profunda desiturae: ex quibus humor excretus in crustas albas, quae ablatae cito renovantur, convertitur: lingua faucesque rubrae atque tumidae.

SPECIES sunt,

a. LACTANTIUM; quae tenellos aggreditur, nondum uberibus maternis subductos; atque irritamentis alimenti canali inhaerentibus debetur; qualia sunt, dentitio, verminatio, acor, et quae sunt hujusmodi.

b. ADULTORUM; quae morbos periculosos comitatur; veluti, febres malignas, *Phthisin pulmonalem, Hydropes,* &c. Pessimum est signum: non est morbus, qui per se curationem desiderat; at potius virium admodum lapsarum index est: quo fit ut medici sit, non *aphthas* curare, sed vires concidentes refocillare.

c. ANGINOSA; quae notas fere easdem, quod ad fauces, exhibet, quas *Scarlatina maligna.*

ORDO SEPTIMUS.—*TUBERCULA.*

DEFINITIO.—Tuber exiguum, durum, margine clare definito cinctum; vel *chronicum,* vel quadam ex parte suppuraturum.

CLXXI. PHYMA.

(PHYMA comprehendit FURUNCULUM et CARBUNCULUM.)

DEFINITIO.—FURUNCULUS; Anglice, *Boil:* Tumor margine discreto et evidente cinctus: durus, ruberrimus et dolens; quod ad molem, ovo colum-

bino similis: in suppurationem imperfectam desiturus, quae ad sanescendum pigerrima est.

CARBUNCULUS.—DEFINITIO.—Signa FURUNCULI, *typho pestifera*, aliisque morbis pestilentibus urgentibus, prodeuntia: suppuratio perquam maligna: humor subflavus atque cruentus per sinus aut fistulas fusus: vires fractae.

CLXXII. VERRUCA, (Anglice, *Wart*), vix definitione eget.

CLXXIII. MOLLUSCUM.

DEFINITIO.—TUBERCULA plurima, variae magnitudinis, doloris vacua, passu tardissimo increscere solita; humore viscido, qualis ATHEROMATI inest, distenta: citra inflammationem et exulcerationem aut *pyrexiam*.

CLXXIV. VITILIGO.

DEFINITIO.—TUBERCULA laevia, nitida, candida, circa aures, cervicem et faciem, et aliquando universam summam cutem prodeuntia, PAPULISque subinde mista; decursu varia: plerumque intra septem vel octo dies summam magnitudinem acceptura: citra exulcerationem aut valetudinem perturbatam; partes affectae pilis, nunquam per vitam reliquam renovandis, nudatae.

CLXXV. ACNE.

DEFINITIO.—TUBERCULA dura, invicem discreta, notis inflammationis stipata, diutina; modo aegre, tarde et imperfecte suppuratura, fronti, temporibus, mento, necnon aliquando cervici, humeris, et parti superiori pectoris, imposita; at nunquam artubus inferioribus infesta: alia aliis, superventura: juniores praesertim adoriri solita.

SPECIES sunt,

a. SIMPLEX; scilicet, TUBERCULUM unicum primo erumpit, perpaucis demum secuturis: inflammatio levis est; neque cutis TUBERCULIS interjecta rubra aut vitiosa est. Quaedam TUBERCULORUM quadam ex parte suppurant; alia tarde detumescunt, et demum resolvuntur. Initio TUBERCULUM perexiguum est; sensim ampliatur; dieque tertio vel quarto inflammari coepit: die sexto vel septimo summam attingit molem; prominet, nitet, rubet, tactuque dolet. Die circiter nono vel decimo apex flavescit; humorque acer ab eo dirupto effluit, qui siccescens fit crusta. Cuique fere TUBERCULORUM progressus jam dictus contingit.

b. PUNCTATA; quae exhibet puncta quasi nigra, *cuticula* turgida circumjecta; nimirum glandulae *sebaceae* inflammatae in TUBERCULA vertuntur exigua, punctis nigris obducta, suppurationem imperfectam (qualem jam notavi) subitura.

c. INDURATA; quae TUBERCULA ostendit grandiora, et duriora, diutiusque mansura, quam ACNE

SIMPLEX. Saepe conorum instar, admodum eminent, acuminata simul et laete rubentia; perinde quasi suppuratura essent: perstant tamen aliquamdiu dura, et mutationis vacua. Alia tardo passu ad suppurationem spectant: modo plura coëunt, in unum tuber inaequale conversa. Suppurent tamen necne, semper ex rubro colore pedetentim, inveterascente malo, purpurascunt.

d. ROSACEA; quae faciem praesertim occupat. TUBERCULIS suppuraturis accedit cutis nitor, rubor et asperitas. Mane quotidie rubor levior est; vesperi, aut corpore vino sumpto motuve calefacto, saturior futurus.

CLXXVI. SYCOSIS.

DEFINITIO.—TUBERCULA inflammatione stipata, non admodum dura, partibus faciei barba instructis capitisque integumentis inspersa; inaequaliter distributa; adultis infesta.

SPECIES sunt,

a. MENTI; TUBERCULA initio labrum inferius, mentumve male habent; exinde usque ad aures, cervicem, caeterasque partes barba donatas, conferta serpunt: rubra sunt, laevia, conis figura, pisis magnitudine, aequalia: admodum pruriunt; serius ocyus suppurant; maresque prae mulieribus tentant.

b. CAPILLITII; quae occipiti, fronti, vel temporibus insidet. TUBERCULA conferta sunt; eorumque plures acervi quasi apparent, figurae fere orbicu-

latae: molliora, quam, quae mentum occupant, necnon acuminata. Octo decemve diebus elapsis, omnia suppurant; et confluentia ulcus conficiunt asperum, inaequale et granatum.

CLXXVII. LUPUS.

DEFINITIO.—TUBERCULA lenta, per faciem diffusa, in ulcera marginibus asperis instructa, genis, fronti, palpebris et labiis infesta, desitura: unde integumenta atque musculi diruuntur, atque cicatrices altae supersunt.

Huc attinet morbus NOLI ME TANGERE dictus.

CLXXVIII. ELEPHANTIASIS GRAECORUM.

DEFINITIO.—TUBERCULA nitentia, magnitudinis variae, subrubra aut livida, circa faciem, aures atque artus prodeuntia: cutis aspera et rugosa, praecipue circa frontem et genas: tactus hebetior vel deletus: pili ubique decidere soliti, excepta calvaria: nares, labra auriumque lobi, tumida: vox rauca et obscura: demum, exulceratis TUBERCULIS, ulcera foeda nasi, faucium et palati: spiritus graveolens: modo pedum et manuum digiti exulceratione diruti: artus tumefacti.

ELEPHANTIASIS BARBADENSIS vel *BRITANNICA*. —DEFINITIO. Praegressis *pyrexia* atque inflammatione glandularum inguinis, artus ejusdem lateris perquam tumidus, ob cavernas telae reticulatae,

latice glutinoso distentas: tumor scilicet durus, firmus, vi resiliendi praeditus, non digito prementi cessurus, doloris expers; cutis crassior, aspera: venae partis affectae varice distentae.

CLXXIX. FRAMBOESIA.

DEFINITIO.—Apud Afros et Americanos, praegressis *pyrexia*, artuumque doloribus, TUBERCULA plurima, conferta, perexigua, doloris vacua; initio verticibus spinularum magnitudine similia; dein sensim amplificata; maxime, faciei, inguinibus, axillis, ano atque gignendi instrumentis infesta: cute dein dirupta, crusta foeda; subter qua prominent tubera rubra, spongiosa nodosa, moris haud absimilia; plures menses duratura: pili ex atris candescere soliti, siqua pars pilis tecta laborat. Morbus pestilens.

ORDO OCTAVUS.—*MACULAE.*

DEFINITIO.—Cutis hic illic praeter naturam colorata, saepe ob fabricam vitiosam.

CLXXX. EPHELIS.

DEFINITIO.—Lentigines flavae aut fuscae, Anglice "*freckles*," per cutem dispersae, apud cute pulchra atque tenera praeditos, propter solis ardores nimios.

CLXXXI. ET CLXXXII. NAEVUS ET SPILUS

sunt, MACULAE, quae cum homine nascuntur, magnitudine et colore variae, fabricae vitiosae corporis *mucosi* aut cutis verae tribuendae.

DE MORBIS TELAE RETICULATAE.

De PHLEGMONE jam dixi: superest ut caeteros morbos telae reticulatae notem.

CLXXXIII. ANASARCA.

DEFINITIO.—Tumor mollis, nitidus, semipellucidus, ardoris, doloris et ruboris expers, a pedibus talisque aut manibus pedetentim ascensurus; vi resiliendi vacuus, digito impresso cessurus, ejusque vestigium aliquamdiu retenturus: crura et pedes vesperi quam mane tumidiora: spirandi difficultas, si pulmo afficitur (Vide LVI): vires saepe admodum fractae: signa hydropis communia (Vide L).

CAUSA CONTINENS.—Cavernae telae reticulatae plus aequo sero distentae.

CLXXXIV. PHLEGMASIA DOLENS.

DEFINITIO.—Apud puerperas, diebus paucis post partum, tumor firmus, nitidus, dolens, tensus, ali-

quantum exardens, pallidus, premente digito statim resulturus; a lumbo et inguine per labia partium naturalium, ad femur imum, et aliquando usque ad crus et pedem descensurus; alterutro vel utroque artuum affecto: dolor motu auctus; tumoreque increscente, paulatim mitigatus.

Causa continens.—Cavernae telae reticulatae lympha viscida distentae, ob glandes *lymphaticas* et vasa cum iis nexa ab utero gravido pressa: unde sequuntur inflammatio vasorum *lymphaticorum*, cursusque lymphae impeditus.

N. B.—Haud ignoro nequaquam convenire inter medicos de causa hujus morbi continente. Quidam, et inter eos Hamiltonus, Artis Obstetricae Professor in hac Academia, contendunt laticem vasorum *lymphaticorum* proprium, hoc morbo urgente, praeter naturam concrescere, sive coagulari; et exinde rationem humoris viscidi cavernis telae reticulatae inclusi deducunt. Quos tamen errare, experimenta a *chemico* praeclaro Chevreulio instituta satis denuntiant: unde docemur, lympham iis vasis propriam esse humorem sero prorsus alienum; scilicet crassum, nec *fibrinae* ipsius expertem. Multi negant vasa *lymphatica* pressa et inflammata hunc morbum constituere; eo quod credunt hydropem *anasarcam* potius exinde enasci oportere; res tamen est notissima glandes *lymphaticas* tumidas et duras haud unquam *Anasarcam* gignere; nisi vena aliqua opprimatur. Denique, opinionem de causa continente jam propositam amplector, experimentis a Chevreulio factis fisus, aliisque documentis, quae hic proferre

alienum foret; unde verisimile est, non vasorum *lymphaticorum*, sed venarum esse, absorbere.

CLXXXV. EMPHYSEMA.

DEFINITIO.—Plerumque pectoris vulnere praegresso tumor summae cutis, vi perinsigni resiliendi praeditus, firmus, premente digito crepans, expers ruboris, ardoris et doloris, non digiti impressi vestigium retenturus: celeriter per totum summum corpus diffusus: magna spirandi difficultas.

Variat pro causa; vel

a. SPONTANEUM est: id est, sua sponte aggreditur, sine causa manifesta, aëre intus secreto: vel,

b. ACCIDENTALE, ex causis fabricam pulmonis violantibus: quo fit ut aditus aëri patefiat e cavernis pulmonis spiritalibus, in cavernas telae reticulatae; quales sunt, molimina gravia, atque vulnera.

CLXXXVI. ECCHYMOSIS, &c.

DEFINITIO.—Macula ampla, late fere diffusa, prius livida, dein flava, fusca aut subviridis, propter cruorem in telae reticulatae cavernas profusum.

THROMBUS est livor minus diffusus, haud citra tumorem, cruori quoque effuso tribuendus.

PETECHIA macula est livida et exigua, cruori quoque effuso debita.

VIBEX est macula livida amplior et oblonga, ex multis *petechiis* coëuntibus facta: saepe cute vera demum resorpta, VESICULAM quodammodo refert.

DE MORBIS OSSIUM ET LIGAMENTORUM.

CLXXXVII. RACHITIS.

DEFINITIO.—Ossa infantibus *scrophula* inquinatis justo molliora: omnesque corporis actiones languidissimae.

SIGNA.

Hic morbus infantes, inter mensem nonum atque annum secundum aetatis, prae aliis adoriri consuevit. Caput fere grandius est: frons insigniter prominet: oculi ampliores sunt, *iride* fere coerulea, modo fusca; alae nasi labrumque superius intumescunt. Pectus aequo angustius est; *sternum* scilicet prominet, costarum mediae partes aequo magis deprimuntur; quo fit ut pectoris linea media transversa brevior, ea quae a *sterno* ad spinam pertinet, longior sit quam fert natura. Dorsi spina torquetur, dextrorsum aut sinistrorsum inclinata: venter durus est atque tumidus. Ossium artuum fines amplificantur: partes mediae tenues sunt et flexae. Huc accedunt spirandi difficultas, febricula, tussis, pulsus arteriarum languidi et crebri; acor ventriculi; modo cibi fastidium: alias desiderium ejusdem ultra naturam auctum; vel rerum non esculentarum cupiditas. Alvus est varia: dejectiones albidae: ex urina natura alba dejicitur: vires labuntur.

N. B.—Causam *Rachitidis* continentem proponere non audeo; neque non confiteri oportet, multa ad hunc

morbum pertinentia tenebris velari: ea tamen quae medicus praeclarus JOANNES DAVIUS de ea edidit, meminisse operae pretium duxi; quippe ex quibus multum lucis hunc morbum illustraturae ducendum esse videntur. Periculis institutis, hic medicus comprobavit, ossium *rachiticorum* quibusdam partem terrenam (id est, *phosphas calcis* et aliquantulum *sulphatis atque carbonatis calcis*) praeter naturam superfluere; aliis nec redundare nec deficere, vix ullis justo parciorem esse: haec scilicet ossa mollia esse, non quod copia idonea *phosphatis calcis* egent; sed quod *super-phosphas calcis* multo saepissime continent. *Rachitidem* nexu intimo cum *Scrophula*, necnon hanc cum actione vasorum omnium torpida vel hebete consociari, quisque rei medicae gnarus optime intelligit. Cur igitur ossa *Rachitide* laborantibus justo molliora sint, quadam saltem ex parte patet. Arteriae ossis secretices initio humorem glutinosum, cui *superphosphas calcis* inest, fundunt: *acido*que supervacaneo pedetentim resorpto, os ex molli paulatim indurescit. *Rachiticis* ossa non duritiem idoneam adipiscuntur, eo quod indoles strumosa et aliae noxae viribus solvendis aptae, vasa resorbentia facultate idonea destituunt: quo fit, ut pars *acidi phosphorici* superflua ab initio secreta non subducatur. Ex urina *phosphas calcis* subsidit; eo quod, valetudine integra, *superphosphas calcis*, hoc morbo contra praesente, *phosphas calcis*, isti humori subest; quod, non dissolvendum, sua sponte decidit: quod si credamus, *phosphas calcis* ossibus *Rachiticis* deficere; nimirum, ob incitatam vasorum absorbentium actionem, ossibus eripi, et ad renes deferri, cum urina demum excernendum:

hocce nodo nequaquam levis momenti irretiamur necesse est: nempe, morbo cum *Scrophula* arcte commisso, (quae multas notas sibi praefert facultatis absorbendi languentis), contingere vasorum absorbentium motum incitatum et abnormem. Quae jam de *Rachitide* retuli, jure, ni fallor, de Mollitie ossium praedicantur. Non praetermittere oportet, ventriculi acorem et mollitiem ossium fere semper coire, id quod plures medici eximii perspexerunt. Haec res jam memoratis satis convenit; necnon medicamenta et victum *rachiticis* optime accommodata facile suggerit.

Mollities ossium.—Definitio. Aliqua aetatis parte, ossa aequo molliora, corpore non semper *scrophula* imbuto.

SIGNA.

Quoniam ossa emollita haud minus apud adultos, quam infantes, distorquentur, signa alia aliis contingunt, prout haec aut illa pars corporis magis laboret: qualia sunt, spirandi difficultas, pectore coarctato; partus difficilis, *pelve* angustiori: *Apoplexia*, parte calvariae, citra scissuram, intrusa: interdum, artuum *paralysis*, *medulla spinali* ob vertebras tortas oppressa.

CLXXXVIII. OSTEO-SARCOMA.

Definitio.—Ossa turgentia et justo molliora, atque in naturam modo carni, modo adipi vitioso, subsimilem; alias, in carnem quasi spongiosam, lamina dura cylindracea, saepe cribri instar, foraminibus referta, cinctam conversa.

N. B.—Causa continens latet; probabile est hoc ma-

lum *Rachitidi* et *Mollitiei ossium* cognatum et affinem esse: nimirum, *Osteo-sarcoma* esse *Rachitidem* aut *Mollitiem ossium* quam gravissimam: omnes enim eo plexi habitu corporis malo strumaque inquinato tentantur.

CLXXXIX. FRAGILITAS.

Definitio.—Ossa praeter naturam fragilia, fissuque aut fractu facilia, vel apud seniores, valetudine satis commoda usos; vel apud homines *scorbuto, syphilide* inveterata aut *carcinomate* inquinatos.

N. B.—Quod ad ossa apud senes aequo fragiliora, hic status vix recte morbus nominatur: lex enim est naturae, partes corporis liquidas, annis increscentibus, paulatim decrescere, solidas adaugescere: quo fit, ut multae partes aetate ineunte molles sensim indurentur; ossa vero, naturis glutinosis imminutis, fragilia reddantur.

CXC. EXOSTOSIS.

Definitio.—Tuber durum ossi insidens, ab osse ipso, quod ad fabricam, alienum.

Species.

a. Eburnea; id est, tuber durissimum, fragile, cum nullo alio morbo sociatum; saepius extrorsum prominens; modo intus conversum: non periculosum, nisi actionem alicujus viscerum, quae ad vitam, secundamve valetudinem conservanda necessaria

sunt, impediat. Exemplo sit *exostosis* tabulae calvariae interioris, *epilepsiam* interdum illatura.

b. SYPHILITICA; tuber quod inflammatione *periostei* tabo SYPHILITICO accensa, et fere in cariem desitura, continetur; tibia, humero, ulna, osse frontis ossibusque *parietalibus* prae aliis affectis.

c. CARCINOMATOSA; id est, tuber quod inflammatione *periostei* in cariem abitura nititur; corpore simul ad *carcinoma* proclivi.

d. SCROPHULOSA; tuber spongiosum vertebris, tarso, carpo ossibusque coxae et genu proximis, potissimum infestum.

CXCI. CARIES.

DEFINITIO.—Praegressa inflammatione *periostei* sui generis; id est, *exostosi syphilitica, scrophulosa* aut *cancrosa;* ossis exulceratio, spongiosis, uti vertebris, tarsi ossibus, teretiumque finibus, potissimum infesta.

N. B.—Inflammationem, quae *Cariem* antecedit, *Specificam* voco; quia malus corporis habitus semper adest; nec citra eum sane inflammatio *Cariem* gignere posse videtur: corpus nimirum *Syphilide, Carcinomate* aut *Scrophula* prius fere imbuitur. Interdum *Caries* cum aliis malis consociatur: id quod accidit, urgentibus *morbo coxario, abscessu psoano,* &c.

CXCII. NECROSIS.

DEFINITIO.—Inflammatione *periostei* praegres-

sa (quae ictu aliove impetu alieno saepe accenditur), ossis gangraena sive mors; tibiae, humero, clavicularae, aliisve ossibus tegumentis tenuioribus velatis, infesta; simul fere secreto osse novo, *sequestram*, id est, partem gangraena corruptam, obtecturo.

N. B.—Inflammatio, quae *Necrosin* movet, non est *specifica:* nimirum, nulli aetati aut corporis indoli propria est: at omnes pariter, admota causa excitante, adoriri potest. Interest quoque inter *Cariem* et *Necrosin*, quod os hac non illa implicatis renovatur. Quod ad *sequestram* attinet, pars ejus serius ocyus absorpta evanescit; pars sua sponte excidit, permeato osse novo. Interdum os novum mortui partem solummodo obducit: unde aeger, per vitam reliquam, artu affecto utendi fit impotens.

CXCIII. PODAGRA REGULARIS.

Definitio.—Inflammatio sui similis, articulorum, maximeque pollicis pedis ligamentis, atque cuti verae, infixa, accessiones habitura, praegressis atque comitantibus *dyspepsiae* signis.

SIGNA.

Praegressa per aliquot dies *dyspepsia*, media circiter nocte vel tertia vigilia jam ineunte, accessio incipere solet. *Pyrexiae* nunc accedunt dolor atque ardor pollicis pedis, aliusve articulorum: pars affecta vel tactus levissimi non est patiens; aegroque ipsi modo luxari, modo aqua fervente affusa cruciari videtur. *Dyspepsia* inter haec, permanet: horisque circiter viginti quatuor exactis, dolor, corpore

sudore perfuso, inclinatur: articulusque rubere, intumescere, et nitere coepit.

Mala jam enarrata per dies plures, scilicet, sex, octo aut decem, iterantur; noctu acerbiora, interdiu remissiora: tandem, sudore viscido, et urina crassa atque multa, ex qua *phosphas calcis* saepe decidit, solvenda; accessio scilicet sic finitur.

Accessione finita, articulus affectus multum tumet, riget, prurit, debilis est, et *cuticula* in squamas conversa privatur: rarius exulceratur. Non raro, accessionibus multis jam praegressis, calculi ex *urate sodae* confecti apud articulum secreti prodeunt.

N. B.—Valetudo melior, mens alacrior, concoctio ciborum idonea, viresque novatae, saepius accessioni finitae superveniunt; unde plerique medicorum contendunt *Podagram regularem* salutarem esse; id est, aliquid nocivum corpori subducere: nec dubitandum est, quin res permultae huic sententiae faveant.

Podagra atonica.—Definitio. Apud *arthriticos*, vel jam *Podagra regulari* plexos, et nunc valetudinem conquassatos, summa ventriculi aliusve partium interiorum debilitas: vel inflammatione articuli *arthritica*, id est, *Podagra regulari*, simul deficiente; vel articulorum doloribus mitibus solummodo et fugacibus urgentibus.

Podagra retrocedens.—Definitio. Ventriculi aliusve partium interiorum debilitas, inflammationem articuli *arthriticam* solito citius, atque subito finitam, exceptura: unde alii *Dyspepsia* et *Gastrodynia*; alii, *Syncope* et cordis palpitatione; alii *Asthmate* vel spirandi difficultate; alii *Apoplexia*

vel *Paralysi*, torquentur; prout ventriculus, cor, pulmo aut cerebrum *atonia* laboret.

Podagra aberrans.—Definitio. Apud *arthriticos*, alicujus viscerum inflammatio, accessione *podagrae regularis*, vel praegressa, vel non praegressa.

N. B.—Etiamsi *Podagram aberrantem* definivi, iis assentior, qui eam abjiciendam esse putant: id est, inflammationes viscerum, si quando *arthriticos* invadunt, suis causis accendi, atque *Podagram* nihil operae ad eas movendas conferre: nimirum, *Pneumoniam* aliamve inflammationem atque *Podagram* aliquando fortuito coire. Recte an secus opiner, illud certe convenit; hanc opinionem aegro ipsi tutam esse: medici enim omnes, quantum scio, sanguine mittendo *Podagra aberrante* aegrotis succurrunt.

CXCIV. MORBUS COXARIUS.

Definitio.—Inflammatio lenta, atque strumosa capitis ossis femoris, capsulae ejusdem, ligamenti teretis partiumque his proximarum, in exulcerationem earundem malam, non raro lethalem; aliquando in *anchylosin*, desitura.

N. B.—Manifestum est, perspecta definitione, cursum hujus morbi ex partibus duabus fere constare; scilicet, ex *a.* Inflammatione, atque *b.* Exulceratione.

SIGNA.

a. Apud imbecillos habituque corporis strumoso praeditos, alterum femorum et crurum languere, et aliquantum

marcere coepit. Homo inter ambulandum claudicat. Pone *trochantera* majorem ossis femoris, dolor sedi altae infixus urget, citra ruborem et tumorem, artu extenso, aut quovis premente auctus; qui fibras *vasti externi* musculi secutus ad genu descendit; modoque deorsum fertur, usque ad *fibulae* finem inferiorem, *malleolum*ve exteriorem: artus affecti lateris duobus vel tribus digitis sano longior est: id quod, binis inter se collatis, facile patet. Nates minus aequo prominent. Genu, dolore excepto, integrum est: interdum glandes inguinis *lymphaticae* tument et dolent.

b. Demum; malis jam dictis ingravescentibus, clunis tumescere et rubere incipit; et postea pure refertus evidenter fluctuat: artus magis indies tabescere pergit; sanoque alterius lateris fit brevior, quamvis antea fuerat longior. Haud raro, integumentis sua sponte diruptis, ulcus mali generis patescit. Dolor inter haec fere impatibilis plectit, motu admodum exasperatus; omnesque febris *hecticae* notae pessimae aegrum macerant, atque serius ocyus occidunt.

Nonnunquam, natura alma, *anchylosis* supervenit.

CXCV. ABSCESSUS PSOANUS.

DEFINITIO.—Indole strumosa praeditis, inflammatio lenta telae reticulatae musculo *psoae* magno circumjectae, necnon persaepe unius vel plurium vertebrarum lumborum; in suppurationem mali generis, nec raro vertebrae affectae *cariem*, abitura.

SIGNA.

Initio, dolor lumborum non vehemens atque *pyrexia* vexant. Dolor, premente manu motuque acuitur, muscu-

lumque *psoam magnum* permeare videtur. Femur et crus ejusdem lateris haud parum languescunt.

Demum, suppuratione facta, atque pure deorsum lato, tumor fluctuans arcui *crurali* subjacere percipi solet, tussi spirituque trahendo auctus, expers ruboris et doloris; aliquando infra *fasciam* femoris ad genu usque descensurus. Alias, pus ad hiatum *sacro-sciaticum* tendit, et juxta anum prominet: subinde proxime clunem apparet. Rarius ad musculos abdominis fertur. Febris *hectica* simul gravissima saevit.

N. B.—Hoc nomine, ABSCESSUS PSOANUS, uti placet, potius quam altero, ABSCESSUS LUMBARIS; eo quod interdum ob causas varias abscessus lumbis contingere potest, morbo tamen proposito penitus alienus.

Quidam vertebrae *cariem* hujus morbi causam, alii effectum esse contendunt: utrique mihi errare videntur. Musculus *psoas magnus* arcte cum vertebris lumborum nectitur. *Caries* igitur vertebrae, quoties accidit, pars hujus morbi habenda est: inflammatio scilicet, ab initio, ligamenta afficit, quae musculum *psoam* cum vertebris lumborum committunt.

CXCVI. HYDRARTHRUS.

DEFINITIO.—Apud homines indole strumosa imbutos, inflammatio lenta ligamentorum et telae reticulatae ad genu pertinentium, exulceratione mala finienda.

SIGNA.

Tumor initio, ex utroque patellae latere, cuti concolor; dein totius genu, percipitur; aliqua vi resiliendi praedi-

tus: summa tibia dolet. Dolor inter ambulandum eo usque augetur, ut aegro non nisi pollicem pedis humo admovere liceat: quo fit ut genu praeter naturam flectatur; et tandem artus omnino extendi nequeat. Genu demum exulcerato, pus per multa foramina sua sponte excernitur; atque febris *hectica* simul exercet.

N. B.—Hic morbus, quod ad causam continentem, morbo *coxario* affinis est; sede profecto diversa. Minus equidem perniciei vitae ipsi minitatur; siquidem artum inter genu et coxam impune excidere licet.

CXCVII. ANCHYLOSIS IMPERFECTA.

DEFINITIO.—Duo ossa, saepius artuum, praeter naturam invicem cohaerentia, ob cartilagines obducentes inflammatas; unde motus solitus fit difficilis aut nullus.

ANCHYLOSIS PERFECTA.—DEFINITIO. Duo ossa, artuum fere, invicem nexa, ob capsulas in naturam osseam conversas, atque inter se commissas: quo fit ut artus affectus prorsus se movendi impotens fiat.

N. B.—ANCHYLOSIS vix unquam morbus est *idiopathicus*: at fere *rheumatismum*, *morbum coxarium*, &c. excipit.

DE MORBIS MUSCULORUM.

CXCVIII. RHEUMATISMUS.

DEFINITIO.—Inflammatio fibrarum tendinum atque musculorum.

N. B.—Hac usus definitione, causam continentem declarare volo. Haud ignoro alios auctores alias *species* hujus morbi edidisse: definitio tamen jam proposita satis omnibus convenire videtur. Dubitari potest, omnes musculi necne RHEUMATISMO implicari possint. Illud certe pro comperto habeo, musculos omnes, qui mentis arbitrio parent; unum eorum, qui animi injussu agunt, nempe, cor; necnon eos omnes, qui medium habent inter hos locum, scilicet musculos spiritui dicatos, huic morbo subeundo opportunos esse. Valde equidem suspicor, musculos omnes animi injussu officiis fungi solitos, hunc in morbum incidere posse: difficile est tamen eum comperire, aut clare ab aliis dignoscere, quoties fibras motrices citra animi imperium contractas, corde sane excepto, aggreditur.

RHEUMATISMUS alia atque alia nomina, pro sede accepit:

Musculis lumborum, LUMBAGO; spiritui dicatis, PLEURODYNE; musculis capitis infestus, HEMICRANIA, vocatur.

DUNCANUM, Medicinae THEORETICAE Professorem secutus, quatuor SPECIES profero; scilicet, *a.* RHEUMATISMUM ACUTUM; *b.* IRRITABILEM; *c.* CHRONICUM; *d.* PARALYTICUM.

a. SIGNA RHEUMATISMI ACUTI ARTUBUS INFESTI.—*Pyrexiae* vehementi serius ocyus accedit dolor alicujus artuum; postea rubor atque tumor. Saepissime humeri cubiti, et genua, modo articuli plectuntur. Dolor hinc illuc vagatur; musculorum fibras permeat; necnon parte affecta tacta vel pressa, mota aut calefacta, intenditur. Vesperi porro, decumbat aeger necne, dolor increscit.

Actio cerebri et ventriculi (id quod memorabile existimo) parum turbatur; imo vero minus, quam quovis alio fere morbo acuto exercente.

RHEUMATISMUS ACUTUS neque suppuratione, nec gangraena finitur: modo feliciter solvitur; modo in alias RHEUMATISMI SPECIES, aut ANCHYLOSIN, abit.

a. SIGNA RHEUMATISMI ACUTI CORDIS sunt, praeter notas morborum omnium cordis communes (P. 62, *e.*); pulsus arteriarum abnormes, tardi, languidi; singultus; praegresso artuum RHEUMATISMO ACUTO.

a. SIGNA RHEUMATISMI ACUTI MUSCULORUM QUI SPIRITUI DICANTUR; id est, PLEURODYNES, sunt dolor lateris, manu premente, spiritu trahendo, truncoque moto auctus: respiratio dolens potius quam difficilis: tussis crebra, sputi semper expers; singultus dolore stipatus; praegresso artuum RHEUMATISMO.

b. SIGNA RHEUMATISMI IRRITABILIS sunt, apud urbanos, languidos, atque irritabiles, signa omnia RHEUMATISMI acuti; nisi quod *pyrexia* vel deest, vel parum evidens est.

c. Signa Rheumatismi chronici, id est, Arthrodyniae.—Rheumatismo acuto, aut artui niso subluxato, *pyrexia* atque tumore nullis, dolor artuum accedit, musculorum fibras permeaturus: lumbi, coxae, caeterique artuum grandiorum praesertim laborant: dolor, parte calefacta, mitigatur, motu intenditur; pars affecta plus minusve friget, debilis simul atque rigida.

d. Rheumatismus paralyticus est aut *Paralysis* ipsa, aut malum *paralysi* simillimum, accessiones crebras *Rheumatismi acuti* vel *chronici* exceptura.

N. B.—Notatu dignum est, suppurationem haud unquam *Rheumatismo* supervenire.

DE MORBIS GLANDULARUM.

CXCIX. SCROPHULA.

Definitio.—Inflammatio sui similis, lenta, glandes *conglobatas* praesertim adortura, exulcerationem sui generis fere genitura.

Species sunt,

a. Vulgaris, quae glandes *lymphaticas*, veluti axillae, inguinis, &c. male habet.

b. Mesenterica; quae glandes *mesentericas* afficit; nec raro nominatur *Tabes mesenterica*, eo quod summam infert maciem.

N. B.—Siquidem multa signa *Scrophulae mesentericae*

cum *vulgari* communia sunt, haec imprimis describere volo.

a. Signa communia sunt, saepissime apud impuberes habitu sanguineo praeditos, cutis nitida, laevis, tenuis, oculi grandes, saepius *iride* coerulea, interdum fusca, instructi: capilli candidi; alae nasi, labrumque superius tumida; pectus fere angustius: venter durus et tumefactus.

b. Signa Scrophulae vulgaris sunt, praeter jam dicta (*a*), tumor glandium *lymphaticarum* aut cervicis aut inguinis, aut axillae, &c. mollis, non vi resiliendi praeditus, initio cuti concolor, deinde subruber: qui sensim mollescens fluctuare coepit, margine duro cinctus, atque lividus; tandemque diruptus in ulcus vertitur, margine laevi, aequali et obtuso donatum. Huc accedit, naturam coagulo lactis similem, sero tenui mistam, non pus, ab ulcere excerni; doloremque levem aut nullum torquere.

c. Signa Scrophulae mesentericae sunt, praeter communia (*a*), *pyrexia*, certeve, febricula; apud impuberes puerosve, tumor abdominis durus, nodosus atque dolens: dolor, pressis nodis, haud exiguus; tabes sensim adaugescens: anhelitus graveolens; notae cibi male concocti; ejusdem modo fastidium, modo desiderium praeter naturam auctum; alvus varia, sub initio fere pertinax, dejecto foetido; sui subest sordes cibo crudo et *chylo* inter se mistis haud absimilis. Praeter haec, aliquando tuber durum et oblongum, imposita manu, *epigastrio*, vel paulo infra, insidere percipitur, imo simul ventre percusso fluctuante. Respiratio est aequo incitatior et difficilis, pulsus arteriarum crebri debilesque. Seriusque ocyus fere, alvi fluxus, sudor gelidus, et reliqua malorum, quae febrem *hecticam* graviorem denuntiant, aegrum absumunt.

N. B.—Verisimile est scrophulam tabo sui simili vasis

lymphaticis aut *chyliferis* inhaerenti deberi: illud certe convenit, rationem non patere, nisi res ita se habeat, cur *Scrophula* praesertim glandes *conglobatas* adoriatur. Haud tamen celandum, plures alios morbos, praeter SCROPHULAM VULGAREM atque MESENTERICAM, vel a SCROPHULA exoriri, vel saltem ei affines esse: quales sunt *Morbus coxarius*, *Hydrarthrus*, *Abscessus psoanus*, *Rachitis*, *Tubercula pulmonis*, &c. &c. Hi morbi, ni fallor, sunt exempla SCROPHULAE SECUNDARIAE: contra, SCROPHULA VULGARIS et MESENTERICA sunt morbi STRUMOSI PRIMARII: Haud secus atque ulcera colis et *bubones*, *syphilidem* ineuntem insigniunt: cutis autem, membranae mucosae, *periosteum*, tendines, &c. vitiosa, eandem inveteratam, tabo sanguini circumfluenti immisto, testantur.

CC. SCIRRHUS ET CARCINOMA.

DEFINITIO SCIRRHI.—Tumor fibro-cartilagineus, glandibus secernentibus praesertim infestus; dolens, necnon (si partem invadit cuti proximam) inaequalis, asper, lividus, cute simul rugosa: seniores aggredi solitus, atque in CARCINOMA desiturus.

DEFINITIO CARCINOMATIS.—Ulcus sui simile, praegresso SCIRRHO, margine inaequali, duro, aspero cinctum; dolentissimum; ex quo excernitur sanies foeda, tenuis, subviridis, cruenta, partes vicinas exesura: febris *hectica*.

N. B.—Partes his malis praesertim opportunae sunt,

mammae apud mulieres, in maribus testiculi; nec non canales membranis mucosis obducti, potissimum ubi se arcuant, vel angustiores sunt. Hinc fauces, *cardia*, *pylorus*, *colon* imum, intestinum *rectum*, atque cervix uteri, his morbis saepe plectuntur.

MORBI SEDIS VARIAE VEL INCERTAE.

CCI. SCORBUTUS.

DEFINITIO.—In terris frigidis, maximeque apud nautas, partes corporis solidae praeter naturam laxae, atque sanguis justo tenuior; praegresso victu e carnibus sale saturioribus et ad putredinem jam vergentibus confecto, atque frugum experte.

SIGNA.

Vires animi et corporis insigniter languent, anima, citra causam aequam crebro deficit. Vultus luridus collabitur: cutis maculis purpureis, subfuscis, viridibus vel flavis efflorescit, in ulcera foeda, sanatu difficilia, et humore subatro scatentia, abituris; ulcera artubus potissimum insident. Dolor artuum cruciat, praecipue noctu. Ulcera, quae jam diu evanuerant sanata, *Scorbuto* accedente, saepe renovantur; aut si os antea fractum, natura alma redintegratum fuerit, partes ejus jam diu inter se conglutinatae, nunc soluto vinculo invicem dissociantur.

Praeter haec, membranae mucosae cruore sua sponte profuso scatent; id est, e naribus, ore, faucibus, ventriculo, vesica, ano, aut pulmone, sanguis effluit: gingivae fiunt spongiosae et tenerae; dentes laxi saepe excidunt: anhelitus foetet: notae cibi male concocti urgent; alvus initio tarda est: anus modo tubercula *haemorrhoidalia* exhibet: urina fusca ex facili putrescit: surae praeter naturam rigent. Hisce malis febris *hectica*, nec raro *hydrops* adjecta, aegrum cito lentove pede absumit.

N. B.—Causam continentem Scorbuti praedicare non audeo. Iis tamen assentiri mihi placet, qui opinantur, corpus nimia *nitrogenii* copia imbutum ejus esse radicem. Siquidem medici scorbuto aegris opitulantur, non stimulis ministratis, sed remediis *oxygenio* et *carbonio* abundantibus, et *nitrogenio* vacuis.

CCII. SYPHILIS.

Definitio.—Morbus pestilens, concubitu impuro oriundus; initio partes naturales ulceribus sui similibus vitiaturus: dein plerumque inflammationem glandium inguinis moturus: tandem inveterascens, cutem, membranas mucosas, *periosteum*, ossa, tendines, aliasque partium interiorum, malis variis affecturus.

N. B.—Haec definitio satis ostendit cursum *syphilidis* in tres partes diduci posse: quarum prima ex ulceribus partium naturalium constet: secunda ex *bubonibus*; tertia ex malis tabo *syphilitico* sanguini immixto ortis. Haud equidem affirmo *syphilidem* omnibus hunc triplicem cursum explere: interdum enim *bubones*, ulceribus nullis; alias,

ulcera, *bubonibus* deficientibus, prodeunt: alias, utraque desunt; veluti, quoties infans nascitur, *syphilide* inquinatus.

a. Signa partis primae sunt, in maribus, apud praeputium, froenum, angulumve colis glandi et corporibus cavernosis interjectum; in mulieribus, apud partes *clitoridi*, *nymphis*que proximas; *papulae* rubrae aut lividae, quae ruptae ulcera fiunt ad sanescendum pigra, margine rubro et duro cincta, pureque acri et sui generis scatentia.

b. Signa partis secundae.—Demum, resorpto tabo et ad glandes inguinis delato, fit *bubo:* nimirum, inguinis tumor durus, paulatim adaugescens, ruber, pulsum edere, digito admoto, perceptus: plerumque in suppurationem, modo in duritiem, abiturus.

c. Signa partis tertiae.—Ulceribus et *bubonibus* multo saepius praegressis, tabum cum sanguine circumfluente misceri denuntiant maculae subrubrae vel fuscae, cupro colorem similes, per cutem summam sparsae; quae squamas exhibent; demumque hic illuc ulcera fiunt. Postea amygdalae, palatum atque *uvula*, ulceribus foedis vitiantur; quae loquendi et glutiendi facultatem impediunt. Interdum ulcera amygdalarum altissima sunt, earumque partem magnam exesam ostendunt.

Quoties *ophthalmia* excitatur, membranae oculi omnes, necnon *iris*, inflammantur; atque exulceratio quam latissime patet, oculi fabricam dirutura.

Non raro, tendines, ligamenta, *periosteum*, atque ossa ipsa vitiantur; unde varia enascuntur signa: inter haec memoratu digna sunt, artuum dolores, *exostosi syphilitica* prognati; qui noctu praesertim saeviunt, in medias artuum partes incumbunt, neque musculorum fibras permeant. Quidam surditate non medicabili plectuntur, ob ossicula

tympani carie vitiosa, vel subinde ob *labyrinthum* ipsum eodem vitio corruptum.

SIGNA SYPHILIDIS CONGENITAE.—Maculae rubrae inaequaliter sparsae circa nates, anum atque partes naturales erumpunt: hic illic simul CUTICULA humore tenui et acri elata decidit. Membranae mucosae purpurascunt, et interdum exulcerantur: viresque maxime prosternuntur.

CCIII. TUBERA SACCIS INCLUSA,

(Anglice, ENCYSTED TUMOURS.)

DEFINITIO—Tubera variorum generum capsulis obtecta, membrana cavernosa inclusa.

a. MELICERIS est capsula natura crassa melli haud absimili repleta.

b. ATHEROMA est saccus natura molli pulmento simili refertus.

c. STEATOMA est saccus natura, quae adipem simulat, plenus.

d. GANGLION est succus natura spissa refertus, cum tendinibus atque ligamentis commissus; saepius figuram ovatus; vix ovo columbino grandior.

e. RANULA: capsula humore glutinoso, spumaeve lactis non absimili repleta, linguae subjecta.

CCIV. SARCOMA.

DEFINITIO.—Tuber carni subsimile, membranae cavernosae fere infixum; saepiusque non sacco inclusum.

SPECIES sunt,

a. SARCOMA ORGANICUM; quod est tuber ex *fibrina organica* confectum, id est, vasis instructum; interdum in exulcerationem abiturum: praesertim testiculos, mammas et glandes *conglobatas* aggredi solitum.

b. SARCOMA ADIPOSUM; quod est tuber passu tardo increscens, ex natura adipi affini compositum, sacco tenui clausum.

c. SARCOMA PANCREATICUM: quod est tuber *pancreati*, colorem et fabricam, quodammodo simile: glandulis *conglobatis* saepius infestum; aliquando inflammationem et suppurationem subiturum. Interdum *carcinoma* quadam ex parte refert.

d. SARCOMA CYSTICUM: quod est tuber plures sacculos interiores exhibens, latice vel natura caseo haud absimili plenos: testiculos atque *ovaria* afficere solitum.

e. SARCOMA MASTOIDEUM: quod est tuber mammae muliebri fabricam simile; fructui *Citri aurantii* molem aequale; aliquanto rarius.

f. SARCOMA TUBERCULATUM; quod est tuber ex multis tuberculis membranae ope reticulatae inter se conglutinatis confectum; praecipue, glandes cervicis *conglobatas* adoriri solitum; nec raro in exulcerationem lethalem abiturum.

g. SARCOMA MEDULLARE (alias, CARCINOMA TESTICULI MOLLE); quod est tuber parti *medullari* cerebri subsimile, in exulcerationem cruentam

desiturum; glandibus inguinis ejusdem simul mali participibus. Verisimile est hunc morbum vix a *Fungo haematode* differre.

CCV. FUNGUS HAEMATODES.

DEFINITIO.—Apud oculum, testiculum, jecur, lienem, uterum, mammas, telamve artuum cavernosam, tuber paulatim increscens, primo decolor et doloris expers; firmum; vi resiliendi praeditum: dein lividum, inaequale, et dolentissimum: postea, foraminibus sponte patentibus, humor cruentus effusus; et exinde *fungus*, quasi prominens, celeri pede adaugescens, cruoremque foetidum atque tenuem profusurus; partes vicinae rubrae et tumidae, et persaepe glandulae *conglobatae* parti proximae ejusdem mali participes: denuo febris *hectica* lethalis.

N. B.—Quod ad tuberis fabricam, partem cerebri medullarem simulat: id est constat ex permultis sacculis natura ista refertis. Quoties musculis vicinum est, hi pallent, et eorum fibrae parum conspicuae fiunt. Ossa ei proxima saepe carie vitiantur.

CCVI. POLYPUS.

DEFINITIO.—Tuber *organicum* ope radicis unicae cum membrana mucosa commissum.

Tria potissimum genera memorantur apud auctores.

a. POLYPUS nasi aut *vaginae* muliebris proprius: margine aequali circumlatus, mollis, mobilis, rotundus, vel ovatus, coloris caesii aut subfusci; semipellucidus, facie ejus vasis referta, dilaceratu facilis; pituita viscida plenus; qui interdum inflammatus praeter naturam partibus vicinis adhaerescit; ideoque radices plures exhibere videtur.

b. POLYPUS meatus alimenti et uteri fere proprius: exiguus; ovo pyrove figuram similis, ruber vel purpureus, opacus, carni haud absimilis, firmus, non facilis dilaceratu, nec mobilis: unde cruor interdum profluit. Corpore debilitato aut malo habitu praedito, hoc POLYPI genus interdum in exulcerationem *cancrosam* incidit.

c. POLYPUS sanguini coacto similis, digitoque leviter tangente, cruorem profusurus.

DE SIGNIS POLYPIS EXORTIS.

SIGNA POLYPI PHARYNGIS.—Glutiendi et spirandi difficultas plus minusve, pro POLYPI mole, exercent: modo surditas nascitur, impedita tuba EUSTACHII: modo, vena *jugulari* oppressa, accedunt vertigo, dolor capitis, stupor, &c. &c.

SIGNA POLYPI INTESTINO INHAERENTIS.—Dolor abdominis, vomitus frequens, alvus tardissima, macies plus minusve, torquent.

CCVII. TUBER LACTIBUS PISCIUM SIMILE,

(Anglice, MILT-LIKE TUMOUR.)

DEFINITIO.—Tuber piscium lactibus simile: subrubrum, molle, faciei inaequalis, membrana per-

tenui, vasis rubris referta obtectum, laxoque vinculo cum membrana *mucosa* nexum; intestini fere proprium.

CCVIII. HYDATIS.

DEFINITIO.—Capsula ovata, semipellucida, undique occlusa, vi se contrahendi, irritamento admoto, praedita; humoreque albidi aut straminei coloris plena.

HYDATIDES humani corporis multum variant: scilicet, HYDATIS est,

a. SIMPLEX; id est, HYDATIS grandis, qui alios minores non includit: vel,

b. COMPOSITUS; nimirum, plures HYDATIDES exigui, varii coloris et magnitudinis, intra unum amplum conclusi: vel,

c. NIDOSUS; scilicet, HYDATIS magnus, qui plures serie ordinatos, alium alio, inclusos, complectitur: vel,

d. CELLULOSUS; nempe, HYDATIS membranae musculorum cavernosae inhaerere solitus: cujus capsula crassa est, in laminas plures diducenda: vel,

e. CEREBRALIS; qui *plexui choroideo* frequenter subest, apud aegros HYDROCEPHALO implicatos: perexiguus est: plures fere inveniuntur, inter se muco admodum viscido conglutinati.

N. B.—Duae membranae vel tunicae HYDATIDI contingunt; exterior fibris motricibus instruitur: in-

terior tenuis est, et vasis abundat. Hydatis inter animantia habetur; siquidem irritabilis est, atque non ope vasorum cum visceribus atque musculis nectitur: praeter alia documenta, quae hic memorare non opus est.

Signa Hydatidibus orta pro sede variant; et fere obscura sunt: abdomini infixi *Ascitem* interdum simulant: jecinori inhaerentes *Icterum* movere possunt.

INDEX

MORBORUM ATQUE PAGINAE CUJUSQUE PROPRIAE ALPHABETICUS.

	Pag.
Abscessus Psoanus, -	166
Abscessus Pulmonis, -	51
Acne, - - -	151
Albugo, - - -	41
Amaurosis, - -	42
Amenorrhoea, - -	114
Amentia, - - -	32
Amplificatio ventriculi dextri,	64
ventriculi laevi,	ib.
cellularum spiritalium, -	59
Hypertrophiae adjecta ventriculi dextri,	65
ventriculi laevi,	ib.
Anasarca, - -	155
Anchylosis, - -	168
Aneurisma aortae arcus,	70
aortae ascendentis,	ib.
aortae descendentis, -	71
arteriae caroticae,	72
arteriae poplitaeae,	ib.
Angina pectoris, -	68
Aphtha, - - -	148
Apoplexia traumatica,	26
sanguinea, -	ib.
Apoplexia serosa, -	26
Arthrodynia, - -	170
Ascites abdominalis, -	82
Asphyxia, - -	57
Asthma, - - -	54
Bronchitis, - -	52
Bronchocele, - -	73
Carbunculus, - -	150
Carcinoma, - -	173
Carditis, - - -	62
Caries, - - -	162
Catalepsia, - -	31
Cataracta, - -	43
Catarrhus, - -	51
Catarrhus vesicae, -	106
Chlorosis, - -	37
Cholera communis, -	84
Cholera Indica, - -	85
Chorea, - - -	35
Circocele, - -	110
Colica, - - -	87
Colica Pictonum, -	88
Concussio cerebri, -	29
Contractura gulae, -	76
Contractura urethrae, -	113

	Pag.
Convulsio, - -	35
Cynanche laryngea, -	46
maligna, -	128
parotidaea, -	49
pharyngea, -	ib.
tonsillaris, -	48
trachealis, -	47
Cystalgia calculosa, -	102
Cystitis, - - -	106
Delirium tremens, -	38
Diabetes mellitus, -	106
Diarrhoea, - -	86
Dysenteria, - -	84
Dyspepsia, - -	78
Dysphagia, - -	75
Dysuria, - -	105
Ecchymosis, - -	157
Ecthyma, - -	139
Eczoema, - -	148
Elephantiasis, - -	153
Emphysema, - -	157
Empyema, - -	51
Encanthis, - -	42
Enteritis erythemoidea,	83
phlegmonoidea,	ib.
Enuresis, - -	105
Ephelis, - -	154
Epilepsia, - -	30
Epistaxis, - -	45
Erysipelas, - -	135
Erythema, - -	133
Exostosis, - -	161
Exulceratio, - -	23
Febris continua.—Vide Typhus, - -	20
Febris flava, - -	19
Febris hectica, -	24

	Pag.
Febris intermittens, -	17
Febris remittens, -	19
Febris remittens infantum,	25
Fistula lachrymalis, -	45
Fragilitas ossium, -	161
Framboesia, - -	154
Fungus haematodes,	179
Furunculus, - -	149
Gangraena, - -	23
Gangraena pulmonis,	58
Gastritis erythemoidea,	77
phlegmonoidea,	76
Gastrodynia, - -	78
Gonorrhoea, - -	111
Granulatio, - -	23
Haematemesis, -	80
Haema-thorax, -	59
Haematocele, - -	109
Haematuria, - -	105
Haemoptysis, -	54
Haemorrhois, -	92
Hemi-opia, - -	42
Hepatisatio pulmonis,	50
Hepatitis acuta, -	96
chronica, -	97
Hernia, - -	93
Herpes, - -	145
Hydatides, - -	181
Hydrarthrus, - -	167
Hydro-cardia, -	63
Hydrocele, - -	108
Hydrocephalus acutus,	28
chronicus,	29
Hydrophobia, -	34
Hydrops ovarii, -	116
Hydrothorax, -	57
Hypertrophia cordis dextri,	63
cordis laevi,	64

Pag.
Hypochondriasis, - 37
Hypopion, - - 42
Hysteria, - - 36
Hysteritis, - - 113

Icterus, - - 98
Icthyosis, - - 124
Ileus, - - 87
Impetigo, - - 137
Induratio jecinoris, - 97
Inflammatio, - - 22
Inflammatio testiculi, 108
Inflammatio venarum, 73
Intus-susceptio, - 88
Ischuria renalis, - 103
vesicalis, - 104

Latex in vias spiritales effusus, 51
Lepra, - - 122
Leucoma, - - 42
Leucorrhoea, - 115
Lichen, - - 121
Lienis morbi, - 99
Lupus, - - 153

Mania, - - 31
Melancholia, - - 32
Melanosis, - - 60
Menorrhagia, - 115
Miliaria, - - 147
Mollities cordis, - 65
Mollities ossium, - 160
Molluscum, - - 150
Morbi cordis non signis indicati, - - 67
Morbus coeruleus, - ib.
Morbus coxarius, - 165
Morbus spinae Pottianus, 39
Myopia, - - 45

Pag.
Naevus, - - 155
Nebula, - - 41
Necrosis, - - 162
Nephralgia calculosa, - 101
Nephritis calculosa, - 103
Nephritis, - - 102
Neuralgia, - - 39

Oedema pulmonis, - 60
Oneirodynia, - 32
Ophthalmia membranarum, 41
Ophthalmia tarsi, - ib.
Osteo-sarcoma, - 160

Palpitatio cordis, - 62
Paralysis, - - 27
Paralysis hemiplegica, 27
paraplegica, - 28
ventriculi, - 81
gulae, - 75
Paraphymosis, - 112
Pemphigus, - - 136
Peripneumonia, - 50
Peripneumonia notha, 52
Peritonitis acuta, - 81
chronica, - 82
puerperarum, 81
Pertussis, - - 53
Phlegmasia dolens, - 155
Phlegmone, - - 22
Phrenitis, - - 31
Phthisis pulmonalis, - 55
Phyma, - - 149
Phymosis, - - 112
Pityriasis, - - 124
Pleuritis, - - 50
Pneumonia, - - 49
Pneumo-thorax, - 59
Podagra, - - 163
Polypus, - - 179

Pag.
Polypus cordis, - 66
Pompholyx, - - 137
Porrigo, - - 138
Presby-opia, - 45
Prurigo, - - 122
Psoriasis, - - 123
Pterygium, - - 42
Purpura, - - 131
Purpura haemorrhagica, &c. 132
Pyrexia, - - 26
Pyrosis, - - 78

Rachitis, - - 158
Rheumatismus acutus, 170
chronicus, 171
cordis, 170
irritabilis, ib.
paralyticus, 171
Roseala, - - 130
Rubeola, - - 125
Rupia, - - 146

Sarcocele, - - 110
Sarcoma, - - 177
Scabies, - - 143
Scarlatina anginosa, - 127
maligna, - 128
simplex, - 127
Scirrhus cardiae, - 80
coli, - 91
pylori, - 79
recti, - 92
testiculi, - 111
uteri, - 116
Scorbutus, - - 174
Scroti cancer caminorum, &c. 111
Scrophula mesenterica, 171
vulgaris, - ib.

Pag.
Signa calculi urinae communia, - - 101
Signa morborum cordis communia, - - 62
Sphacelus, - - 23
Spina bifida, - - 40
Staphyloma, - - 42
Strabismus, - - 44
Strophulus, - - 120
Sycosis, - - 152
Syncope, - - 61
Syphilis, - - 175

Tetanus, - - 32
Tremor, - - 38
Tuber lactibus piscium simile, 180
Tubera saccis inclusa, 177
Tubercula pulmonis, - 56
jecinoris, - 98
Tympanites abdominalis, 89
intestinalis, ib.
Typhus congestiva, - 20
inflammatoria, ib.
simplex, - ib.

Ureteralgia calculosa, 102
Urethralgia calculosa, ib.
Urticaria, - - 129

Vaccinia, - - 145
Valvulae osseae, - 66
Varicella, - - 144
Varicocele, - - 110
Variola confluens, - 141
discreta, - ib.
Verminatio, - - 89
Verruca, - - 150
Vitiligo, - - ib.
Vomica, - - 51

DE VENENIS.

DE VENENIS.

SIQUIDEM signa venenis ingestis exorta saepe acerbissima sunt; imo vero morbos exitiosissimos constituunt; consilium initum postulare videtur, ut notas cujusque veneni proprias saltem exponam. Quum autem omnia, quae *Toxicologia* comprehendit, medicorum cognoscere permagni refert, in animo est hoc argumentum paulo altius inquirere. Ita vero idem distribuere placet, ut sex ordines venenorum proponantur, scilicet, venena, *a.* RODENTIA; *b.* ASTRINGENTIA; *c.* ACRIA; *d.* NARCOTICA; *e.* ANIMALIBUS DEDUCTA; *f.* AERIA. Alii sane ordines septem constituunt, addito ORDINE, NARCOTICA-ACRIA: quos aequo subtilius judicasse opinor: omnia venena, quae Parisius et Fontblanquius NARCOTICO-ACRIA appellant, tantulum a NARCOTICIS mihi discrepare videntur, ut recte cum his socientur. Nulla fere ordinandi ratio maculis caret: atque hoc praesertim incommodum neminem hujus rei gnarum latebit: nempe, si ORDINES ex dotibus *chemicis* aut aliis ejusmodi ducantur, hos multa ve-

nena complecti oportere, quibus omnibus non eadem ratio necandi contingit: quod si ORDINES ex necandi ratione deducantur, eos quam plurima diversi generis, alia effosa, alia ex plantis aut animalibus deducta, comprehendere oportere. Sex ORDINES ante dictos subjicio.

VENENORUM DISTRIBUTIO.

ORDINES.	VENENA SINGULORUM ORDINUM PROPRIA.
I. VENENA RODENTIA.	Ex Arsenico praeparata, nempe, Acidum arsenosum. Acidum arsenicum. Arseniata. Arsenites. Sulphuretum flavum atque rubrum.
	Chlorides Hydrargyri, Oxidum Hydrargyri rubrum, Antimonium, et Sales ejus.
	Sulphas atque Subacetas cupri, Murias atque oxidum Stanni, Sulphas zinci, Nitras argenti, Acidum sulphuricum, nitricum, muriaticum et oxalicum, Aqua fervens, et Plumbum liquefactum, Potassa, Soda, et Ammonia, Calx, Barita, Baritae murias et carbonas.
II. ASTRINGENTIA.	Acetas et Oxida Plumbi.
III. ACRIA.	Cantharides, Phosphorus, Venena mechanica, Elaterium, Colocynthis, Helleborus, Juniperus Sabina, Colchicum, Scilla maritima.
	Bryonia, Gambogia, Euphorbium, Oleum Crotonis Tiglii, Semina Ricini communis, Nitras potassae, Aconitum, Jatropa Curcas.

IV. NARCOTICA.	Alcohol, Oleum Nicotianae Tabaci. Hyoscyamus niger et Lactuca sativa, atque Cocculus Indicus, Conium maculatum, Agaricum campestre. Acidum hydrocyanicum, Opium, Camphora, Atropa Belladona, Datura Stramonium, Digitalis purpurea, Struchnos nux vomica.
V. ANIMALIBUS ORTA.	Animalia venenosa, Coluber, Vespa, Apis, Formica; Animalia, quorum humores morbis vitiantur, Venena piscium, Naturae putrescentes, &c.
VI. AERIA.	Particulae, quae actione mechanica pulmonem exasperant; Fumi, quos emittunt praeparata ex Hydrargyro, vel Hydrargyrus ipse: Gas hydrogenium sulphuratum, Gas hydrogenium carbonatum, Chlorinum, Acidum sulphurosum, Miasma et Contagium.

CCIX. DE VENENIS RODENTIBUS.

Venena RODENTIA sunt, ea quae alicui corporis vivi parti admota, prae exurendi, exedendi vel rodendi facultate, qua praedita sunt, ejusdem fabricam diruunt; et exinde mortem infelici adsciscunt, dummodo parti interiori flammae vitae alendae necessariae adhibeantur. Dubitari sane potest, necne ulla venenorum genera, quibusdam fortasse *acidorum* acriorum exceptis, ista ratione unica vitam extinguant. Principium enim vitae, divinae ista particula aurae, in tantum omnibus corporibus, quibus adest, imperat, ut vix ulla natura rodendi potens animalia viva et mortua eodem modo afficiat. Hu-

jus rei exemplo sit, ventriculus humanus ab succo ipsius cibo concoquendo dicato, post mortem subito illatam, valetudine prius integra, dissolutus; qui, homine jam spirante, eundem impune secreverat, et incluserat. Confiteri igitur oportet iis vocibus, VENENA RODENTIA, jure objici posse, vix ullum venenum, vel acerrimum, vi rodendi unica jugulare; easdemque jure ea venena significare et amplecti, quae vi insigni praedita sunt carnes mortuas solvendi; corpori tamen vivo alia quoque ratione nocent. Quomodo autem laedant, postea inter singula describenda, ostendere nitar. Quae venena inter RODENTIA recensenda sint, jam edocui. Proximum est ut argumenti ordinem exponam. Ita argumentum prosequi statui, ut disseratur,

I. De dotibus *chemicis* aut *physicis* cujusque veneni.
II. De signis eo parcius aut largius ingesto vel admoto exortis.
III. De signis, cadavere inspecto vel patefacto, repertis.
IV. De ratione, qua venenum laedit, aut necat.
V. De veneno post mortem detegendo.
VI. De remediis utendis.

CCX. DE PRAEPARATIS EX ARSENICO VENENATIS.

ARSENICUM est metallum sui generis, subcaesii coloris, granatum, interdum in squamas diducen-

dum, fragile, facile in pulverem redactum. Frigidum non olet: calefactum in sublime fertur, in fumum vertendum, qui eodem odore, quo allium, nares offendit. ARSENICUM sincerum corpori humano innocuum est.

Praeparata ex eo venenando apta sunt,

a. ACIDUM ARSENOSUM et ejus sales.
b. ACIDUM ARSENICUM et ejus sales.
c. SULPHURETUM FLAVUM.
d. ——————— RUBRUM.

a. ACIDUM ARSENOSUM praeparari solet, *cobalto* crudo torrendo: fieri quoque potest, ARSENICO urendo. Albidum est, opacum, acerrimum et rodendo aptissimum: notare simul oportet vim necandi, quam rodendi, multo majorem esse: calore, quem indicat gradus CCCLXXXIII^TIUS instrumenti Fahrenheitani admoto, in vaporem convertitur odoris expertem: pondus *specificum* eo numero 5.000 insignitur. Quoties gradus LX^MUS instrumenti Fahrenheitani aëris temperiem indicat, partes aquae quadringentae unicam ACIDI ARSENOSI partem dissolvunt: aquae autem bullientis partes tredecim unam solvere valent. *Alcalibus*, terris, *oxidis*que metallorum cum eo sociatis, fiunt sales medii, qui *Arsenites* vocantur.

b. ACIDUM ARSENICUM praeparatur, *acido arsenoso* actioni *acidi nitrici* objecto: quo fit, ut *oxygenii* copia majori imbuatur: pondus *specificum* eo numero 3.391 indicatur: calefactum non in sublime fertur; at liquescens in vitrum vertitur: ex facili ab aqua solvitur. *Alcalibus*, terris et metallorum

oxidis cum eo consociatis, sales constituuntur; qui *Arseniata* nominantur.

c, d. SULPHURETUM FLAVUM vel AURI PIGMENTUM, atque SULPHURETUM RUBRUM, id est, REALGAR, saepe effodiuntur: et multo minus exitiosa sunt quam antea dicta: quod si arte praeparantur, acerrima sunt venena: cujus rei ratio parum constat.

CCXI. DE SIGNIS ACIDO ARSENOSO ORIUNDIS.

ACIDUM ARSENOSUM tam parce ministrari potest, ut citra mortem, notas terrentes gignat: vel fieri potest ut paulo largius ingestum haud tamen, nisi ultra horam vigesimam quartam, enecet: vel denique modus amplior necem intra horas XXIV homini adsciscere potest.

DE SIGNIS EX ACIDO ARSENOSO PARCE MINISTRATO CITRA MORTEM EXORTIS.—Signa sunt molestiae sensus circa praecordia; dolor ventris, palpebrae tumidae, rubrae, rigidae: gingivae tenerae, rubrae, dolentes: os salivae plenum: pruritus cutis; quae subinde efflorescit: inquietudo: tussis: dolor capitis: urinaeque difficultas reddendae, atque sensus ardoris inter mingendum.

Si aliquanto plus veneni corpus subierit, at citra mortem; fauces exardent et arent: dein vomitus accedit. Postea superveniunt, diu mansura, notae cibi male concocti, vires fractae, artus *paralysi* soluti:

modo *epilepsia*. Aliis capilli serius ocyus decidunt; aliis ossa *exostosi* atque carie diruuntur.

DE SIGNIS ACIDO ARSENOSO PAULO LARGIUS ACCEPTO EXORTIS, AEGRO NON CITRA HORAM XXIV^TAM^ ABSUMPTO. — Inter principia ardor faucium, sitis, vomitus et summa anxietas invadunt: alvus fluit; certeve aeger crebra desidendi cupiditate torquetur, dejectionibus simul parcis. Huc accedunt dolores vagi, motus arteriarum languidi et crebri, dolor capitis: venter tensus et dolens: libido perinsignis. Demum aeger tranquillus dormire coepit, vel soparatur: interdum vero dolores non dimittunt: et homo nervorum distentionibus correptus moritur: aliquando, sed rarius, partes ano proximae inflammantur, atque exulcerantur.

DE SIGNIS ACIDO ARSENOSO LARGISSIME ADMOTO EXORTIS, HOMINE INTRA HORAS XXIV NECATO.—Paulo post copiam ampliorem ingestam aut in venam infusam, sensus ardoris et angoris ad os et fauces refertur, qui *pharyngem* et gulam permeat: dein cruciant dolor acerbissimus ventriculi et abdominis; vomitus sordis glutinosae et fuscae, sive cruentae, anxietas summa, atque animae defectio crebrior. Ventriculus perquam irritabilis, quaeque ingesta, vel blanda atque mitia, respuit. Alvus fusa saepe descendit: dejectiones sunt liquidae, subatrae, foedae, vel cruentae. Sitis extingui nequit: cutis praeter naturam calet: arteriae languide, crebro et imparibus intervallis micant: cor palpitat:

urina fit cruenta et aegre redditur: surae *spasmo* contorquentur. Demum ad ultima ventum esse docent sudor gelidus, spiritus difficillimus, singultus, vultus luridus, oculi livore cincti, maculaeque purpureae cuti inspersae. Delirium et nervorum distentiones aliquando, sed rarius, invadunt. Oblivisci non oportet, signa jam descripta non semper hoc venenum, vel largissime ingestum, excipere: quidam, testante CHAUSSIERO, mortuus est, non nisi *syncope* leviori praegressa, etsi modum veneni amplissimum ingesserat: alii perierunt, vomitu et alvi fluxu solummodo correpti.

Denique, haec signa pariter accedunt, sive hoc venenum in ventriculum sumatur; sive per anum injiciatur; sive vulneratae parti indatur, aut in venam arte infundatur.

CCXII. DE SIGNIS CADAVERE INSPECTO AUT PATEFACTO, REPERTIS, MORTE PER ACIDUM ARSENOSUM ILLATA.

Ventriculus et intestinum notas exhibent inflammationis praegressae. Membrana ventriculi intima saepe est mollior et rubrior, quam fert natura. Si mors non cito accesserit, omnes ventriculi membranae exulcerari percipiuntur. Non autem celare oportet, interdum nulla indicia inflammationis adesse. Quomodocunque ventriculus se habeat, intestinum notas istiusmodi sibi praeferre consuevit: atque fere semper *duodenum* et *rectum* prae caeteris partibus vitiantur. *Pharynx* quoque, et gula similes notas

plerumque ostendunt: lingua saepe admodum rubet et tumet. Interdum naturalia notas istiusmodi exhibent.

Sanguis tenuis et non concretus inveniri solet; haud secus atque fulmine occisis. Quod ad superficiem corporis, cutis maculis lividis efflorescit: ungues, crines atque *cuticula* cito delabuntur. Neque vero corpus celeriter putrescit: sed periculis nuper institutis docemur, putredinem tardius, potius quam citius, supervenire.

CCXIII. DE RATIONE QUA ACIDUM ARSENOSUM LAEDIT AUT NECAT.

Medici vetustiores sibi persuaserunt, *acidum arsenosum* ingestum hominem occidere alimenti meatu inflammando: istamque inflammationem potestati, qua hoc venenum pollet, rodendi, tribuendam esse. Multa autem documenta huic opinioni adversantur: imprimis, venenandi vis, qua praeditum est *acidum arsenosum* perinsignis est; rodendi autem facultas perexigua: porro, notae eo admoto ortae, longe aliae sunt, corpore vivo atque mortuo: id quod non ita se habere oporteret, si erodendo noceret. Quinetiam, persaepe copia ingens ingesta, citra signa meatus alimenti inflammati, enecat. Denique, sive hoc venenum ingurgitetur, sive vulneri indatur, sive venae committatur, notas easdem infert: imo vero, in venam injectum, partive *cuticula* orbae illatum, eandem ciet ventriculi et intestini inflammationem, quam in ventriculum acceptum.

Hisce documentis confisus, judicare haud dubito, hoc venenum celeriter absorptum cum sanguine circumfluente misceri; necnon inflammationem meatus alimenti, quoties accidit, vix, certeve parum, membranae interiori per contactum irritatae tribuendam esse; at praesertim veneno sanguini circumfluenti immixto: mortem vero minus ista inflammatione niti (quae equidem interdum deest), quam actione lethali, qua venenum sanguini immixtum cerebro, cordi, pulmoni, aliisque partibus vitae aut valetudini secundae necessariis, nocet.

CCXIV. DE ACIDO ARSENOSO POST MORTEM DETEGENDO.

Si, cadavere patefacto, sordeque ventriculo atque intestino inclusa lota, pulvis candidus atque gravis detegitur; idem colligendus et periculis *chemicis* objiciendus est. Quod si pulvis istiusmodi deest, liquor colatus conservari debet; quo experimentis subjiciatur. Etsi experimenta sint plurima, duplicis tamen sunt generis: scilicet, venenum deprehenditur; vel,

A. ACIDO ARSENOSO in ARSENICUM, id est, metallum converso; vel,

B. Adjectis quibusdam salibus, qui efficiunt, ut res coloratae demittantur; unde hoc venenum subesse judicetur.

A. *x*.—Si partes tres naturae nigrae (quae ex duabus partibus *super-tartratis potassae* et una parte *nitratis potassae* inter se mixtis et combustis

conficitur), cum una parte pulveris suspecti mistae tubo vitreo octo pollices longo et dimidiam partem pollicis lato, lutoque apud imam partem obtecto, indantur; tubusque deinde prunis imponatur; quadrante horae exacto, ARSENICUM ipsum nitidum et fragile in sublime latum faciem interiorem summi tubi obducet; dummodo pulvis suspectus ACIDUM ARSENOSUM esset. Quinetiam, si ARSENICUM in tabulam ferream ferventem conjiciatur, protinus fumi allium olentes ascendunt.

Hoc experimentum caeteris omnibus antecellit; quippe quod fallere nequit. Illud unice ei objici potest: nimirum, copiam ACIDI ARSENOSI perexiguam ita vix deprehendi posse.

A. *y*.—Si partes tres naturae nigrae antea descriptae, cum una parte pulveris suspecti mixtae duabus tabulis politis cupreis interjiciantur; tabulaeque metallo neto circumvinctae prunis imponantur: quadrante circiter horae exacto, utraque tabularum maculam ostendit candidam, nitidam, argento subsimilem: quae ex CUPRO et ARSENICO inter se consociatis constat. Huic tamen experimento soli non confidere oportet: duae enim tabulae ex cupro confectae, interjecto oleo natura nigra antea dicta misto, si igni objiciantur, maculam argenteam sibi praeferunt; aliquanto minus conspicuam sane; quanquam ACIDUM ARSENOSUM desit.

B. I.—Si grana duo pulveris suspecti unciis octo aquae purissimae ope caloris dissoluta, duobus granis *subcarbonatis potassae* miscentur: necnon de-

inde *nitras argenti* concretum liquorem tangit; illico natura flava ab eo demissa praeceps cadit; quae est *arsenis argenti.* Hoc experimentum indici hujus veneni subtilissimo habendum est; siquidem pars grani sexagesima duabus aquae unciis dissoluta exinde patefieri potest.

QUAEDAM OBJICIENDA.—*a.* Hoc experimentum accipiti ACIDI ARSENOSI est indici; siquidem *phosphas,* haud secus atque *arsenis argenti,* flavet: ideoque, si quis paulo ante mortem *Phosphas sodae,* ad alvi dejectionem moliendam, sumpserit; *acido arsenoso* ingesto periisse videri potest; succo enim ventriculi *nitras argenti* aqua solutum adjectum faciet ut natura flava decidat. Quo medicus *phosphas argenti* et *arsenitem argenti* invicem clare discernat, hacce ratione experiendi utendum erit. Si pulvis suspectus aqua solutus in papyrum fundatur; haec porro ita ab illo madefacta *nitrate argenti* cylindraceo admoto acriter fricetur; nascitur illico linea flava, simulque aspera, rugosa et inaequalis; perinde quasi calamus male confectus, et succo flavo onustus, eam fecerit: si contra papyrus *phosphate sodae* aqua dissoluto humectata *nitrate argenti* fricetur; fit linea flava equidem, at simul laevis, aequalis et tenuis.

b. Quinetiam: siquidem *murias sodae* ventriculo fere semper adest, ideoque natura suspecta fere miscetur: *nitras argenti* non solum *arsenitem argenti,* verum etiam *murias argenti* persaepe praecipitabit. Si rem ita se habere suspicamur, naturam dubiam dejectam calefacere oportebit, tubo vitreo

inclusam; quo ACIDUM ARSENOSUM, si adsit, in sublime feratur.

c. *Chromas potassae nitrati argenti* adjectum facit ut concretum flavum, *chromas argenti*, vix ab *arsenite argenti* dignoscendum, dejiciatur. Quum vero haud unquam suspicari licet *chromas potassae* ventriculo inesse, hoc parvi faciendum existimo.

Denique, usus edocuit *ammoniaretum argenti nitrati argenti* praestare; maximeque ob hanc causam; quod *phosphas sodae*, si hoc adsit, dissociare non potest.

B. II.—Si unum granum concreti albidi suspecti, et tria grana *subcarbonatis potassae* duabus aquae drachmis; si porro grana quinque *sulphatis cupri* duabus drachmis aquae, solvuntur; his liquoribus inter se mistis, illico descendit pulvis admodum viridis, id est, *arsenis cupri*; sal nempe ex *acido arsenoso* et *oxydo cupri* confectus. Hoc experimentum indici hujus veneni subtilissimo est. Quidam *ammoniareto cupri*, id est, *subsulphate ammoniae* et *cupri*, uti malunt, *subcarbonate potassae* praetermisso.

OBJICIENDUM.—Si *sulphas cupri* aqua dissolutum, *potassa* vel ejus *subcarbonas*, soluta, necnon aqua ex qua *Allii cepae* radix decocta fuit, inter se miscentur; *oxydum cupri*, quod dejicitur, viride esse apparet: oculi vero lūduntur, liquore flavo inter eos atque *oxydum cupri* coeruleum posito: quo fit ut hoc viridem colorem sibi praeferre videatur.

B. III.—Si aqua *hydrogenio sulphurato* imbuta concreto suspecto dissoluto adjicitur, brevi praeceps

decidit natura aurei coloris, nempe *sulphuretum arsenici* flavum. Hoc indicium ACIDI ARSENOSI tam subtile est, ut unum granum centum millibus granorum aquae dissolutum exinde patescat.

OBJICIENDA.—*Tartras antimonii* et *potassae acido arsenoso* adjectum, facit ut natura aurea dejiciatur. Hoc vero incommodum parvi habendum est; siquidem necne aeger jam vivus id medicamentum ingesserit, ad vomitum movendum, fere semper cognosci potest.

B. IV.—Si calx aqua soluta rei suspectae dissolutae additur, pulvis candidissimus, *arsenis calcis*, praeceps cadit; dummodo *acidum arsenosum* adsit. Si plus *acidi arsenosi* adjicitur, *arsenis calcis* solvitur.

Utrocunque horum experimentorum nitamur; quo certiores fiamus, rem demissam natura nigra, Anglice *Black Flux* dicta, mistam tubo vitreo committere, et dein prunis subjicere, opus erit. Metallum enim ipsum in sublime latum et postea fumo allium olente cognitum, caeteris omnibus documentis antecellit.

CCXV. DE REMEDIIS UTENDIS, INGESTO VEL ADMOTO ACIDO ARSENOSO.

Simul atque aliquis modum ampliorem ACIDI ARSENOSI ingurgitasse videtur, medici est quam celerrime venenum ejicere. Nulla igitur mora adhibita, eo instrumento cui nomen, *Stomach Pump*, utendum. Si vero hoc, ob aliquam causam, medico

in manibus non est; vomitus remediis potentissimis eliciendus est: qualia sunt semina *Sinapis albae*, *Sulphas zinci*, *Sulphas cupri*, *Tartras antimonii et potassae*. Amplior modus concedendus est, multa aqua tepida admista, faucibusque simul penna irritatis. Nec vero celari oportet, perdifficile esse hoc venenum cujusvis ope remedii ventriculo penitus subducere; siquidem grave est, nec dissolutu facile: ideoque pars non succo ventriculi soluta rugis hujus irretita latet.

Liquores mulcendo idonei dandi sunt: quales sunt aqua *gummi Acaciae niloticae* imbuta, et qui sunt istiusmodi.

Quidam venenum iners reddere nituntur, remediis datis, ex quibus cum eo sociatis fiat natura innocua. Multum lugeo, quod usus haec parum juvare edocuerit: nec ratio latet hujus rei: imprimis, pars saltem veneni cito absorbetur; id est, priusquam ea remedia dari possint. Deinde, quaedam ex his prorsus inutilia sunt, veluti *subcarbonas potassae* aut *sodae*; eo quod res novae inde confectae, scilicet, *arsenis potassae* aut *sodae*, vix minus exitiosae sunt, quam venenum ipsum prius acceptum. Porro, alia sunt inepta, non solum ob causam jam dictam; verum etiam, quia pars *acidi arsenosi*, quae adhuc concreta manet, vix aut ne vix quidem sua sponte cum iis consociari potest. Hinc parvi existimo *sulphuretum potassae*. Probabile est *calcem* aqua dissolutam opem polliceri prae aliis, siquidem *arsenis calcis* vix aqua solvendus est.

Signa inflammationis, si multum saeviunt, reme-

diis, in inflammationem aliunde genitam idoneis, debellanda sunt.

CCXVI. QUAEDAM DE ACIDO ARSENICO EJUSQUE SALIBUS.

ACIDUM ARSENICUM ejusque sales eosdem fere effectus exitiosos edunt, quos ACIDUM ARSENOSUM et ejus sales : nocent porro eodem modo : rarius tamen pro venenis adhiberi solent. Quinetiam, ACIDUM ARSENICUM experimentis jam descriptis detegi potest.

Haec tamen notare medicum oportet ; *nitras argenti arseniate potassae* mistum facere ut pulvis non flavus, at subruber, dejiciatur : necnon *ammoniaretum cupri acido arsenico* adjectum naturam subcoeruleam, non viridem, praecipitare. Res demissae deinde natura atra antea memorata mistae, tuboque vitreo inditae, calefieri debent, quo metallum ipsum in sublime latum patefiat.

Quae de remediis in ACIDUM ARSENOSUM aptis disserui, eadem fere de ACIDO ARSENICO praedicari possunt.

CCXVII. QUAEDAM DE SULPHURETIS ARSENICI.

Jam memini SULPHURETA ARSENICI, quae effodiuntur, corpori humano innocua esse, certeve esse venena mitissima. RENAULTIUS experiendo didicit, drachmas duas SULPHURETI ARSENICI FLAVI

a cane impune ingurgitari. SULPHURETUM RUBRUM quoque fossile parum nocet. Quod si SULPHURETA arte conficiantur, nempe ex sulphure atque ARSENICO ignis ope confusis; venena sunt perquam luctuosa.

MONRO TERTIUS, (Vide "Morbid Anatomy of Gullet, Stomach and Intestines," p. 90.), SULPHURETI ARSENICI, grana sex, carne bovilla elixa inclusa, cani, duodecim horas antea jejuno, ingessit; nec signa mala secuta sunt. Idem medicus probavit modos grandiores ejusdem multa signa luctuosa movere: qualia sunt, vomitus, alvi fluxus, nausea, dolor ventriculi et abdominis. Confiteri tamen oportet, SULPHURETA ARSENICI, vel arte facta, longe minus venenandi potentia esse, quam ACIDUM ARSENOSUM aut ARSENICUM.

Vix dubitari potest, quin *sulphur* cum quovis fere metallorum sociatum, hujus vim salutiferam atque exitiosam pariter obtundat. Qua re freti medici artuum tremorem ullo veneno metallico parce et crebrius ingesto oriundum, *sulphure* ministrando, debellare consuerunt.

Quo ARSENICUM patefiat, post mortem SULPHURETO ARSENICI sumpto debitam; naturam suspectam e ventriculo deductam *potassa* sincera miscere, atque deinde tubo vitreo inclusam calefacere oportebit: quod sequitur, ut, *sulphureto potassae* confecto, ARSENICUM ipsum in sublime feratur; experimentis, si opus esse judicamus, jam memoratis subjiciendum.

CCXVIII. DE BICHLORIDE HYDRARGYRI SIGNISQUE EO INGESTO ORTIS.

Bichlorides hydrargyri venenandi longe potentior est quovis salium, qui *oxyda hydrargyri* continent. Haud equidem nescio salem, quem prosequor, concretum ex *chlorino* et *hydrargyro* constare. Quoties autem pro veneno accipitur, vel ingeritur, *Murias peroxydi hydrargyri* recte nominatur: aut enim aqua prius solvitur, quam ingurgitatur; aut ingestum a succo ventriculi liquatur; unde, principiis aquae invicem dissociatis, *chlorinum* in *acidum muriaticum*, *hydrargyrus* in ejus *peroxidum* vertitur. Hic sal ex facili aqua solvitur; sic ut unum granum ab undecim granis aquae frigidae, tribus vero aquae bullientis, dissolvendum sit: ejus chrystalli *prismata* figuram referunt; quae aëri circumfluo aliquamdiu objectae, aqua subducta, fiunt opacae, in pulverem denuo redigendae. Pondus ejus *specificum* isto numero 5.1298 insignitur. Si tritum in prunas conjicitur, in fumum candidum atque densum, fauces exasperaturum et perquam exitiabilem, vertitur.

De Signis modo majori Bichloridis Hydrargyri assumpto ortis.—Ingurgitatis granis paucis bichloridis hydrargyri, ampliusve, nascuntur sensus ardoris et angoris ad fauces relatus, os et labra arida, sitis, dolor ventriculi et imi ventris cruciantissimus, manu premente, imo vero quam

levissime tangente, exasperandus; abdomen tensum; vomitus atque dejectio pituitae spumantis: vultus ruber atque tumidus, oculi corusci; atque pupillae plus aequo lumine coarctatae. Praeter haec, pulsus arteriarum sunt exiles, frequentes et duri: urina suppressa non excernitur: proximum est, ut sudor gelidus, anxietas summa et nervorum distentiones mortem infelici afferant.

De Signis hoc Veneno parcius et crebro ingesto oriundis.—Commune est hujus cum *Digitali purpurea* et quibusdam aliis venenis, si parce et frequenter ingerantur, modos omnes per dies plures acceptos humoribus circumeuntibus simul inesse posse. Quoties hoc ita se habet, venenum in corpore cumulari apud medicos dicitur.

Ex omnibus signis BICHLORIDE HYDRARGYRI sic ingesto ortis, haud ullum notatu dignius est, quam actio incitata et abnormis glandium salivae secernentium. Hae tument et dolent: os saliva scatet: gingivae dolent, turgent et mollescunt: spiritus admodum graveolet: dentes laxati excidunt; imo etiam aliquando maxillae ipsae atque ossa palati. Vires porro labuntur: corpus tabescit: cibi concoqui pene cessant: artus dolore quaesitissimo plectuntur; saepe tremunt, aut solvuntur: quidam in *Phthisin pulmonalem* inciderunt, antea ad eandem propensi.

CCXIX. DE SIGNIS, CADAVERE SECTO, REPERTIS, MORTE HOC VENENO ILLATA.

Si modus amplior occiderit, introspecto cadavere notae inflammationis propriae gulae atque ventriculo contingere observantur. Interdum vis rodendi, qua hoc venenum pollet, tanta est, ut foramina hic illic patescant, apud varias meatus alimenti partes. Quidam hoc venenum unquam membranas omnes exedere negant: quos tamen opinionem inanem fefellisse testantur PARISIUS atque FONTBLANQUIUS. Vide Med. Jurisp. vol. ii. p. 266.

Siquidem commune est hujus cum aliis multis venenis alimenti canalem inflammare; quaesitu dignum est, ab aliis discernendum sit, necne, quovis proprio signo post mortem detecto. Forsitan color niger ventriculi hujusmodi signum est: quod ab *acido arsenoso bichloridem hydrargyri* dignoscit.

CCXX. DE RATIONE, QUA BICHLORIDES HYDRARGYRI NECAT.

Quoties ingens copia BICHLORIDES HYDRARGYRI, veluti grana V, X, XX ampliusve ingesta, inflammationem lethalem ante descriptam cieverit; longe aliter atque *acidum arsenosum*, nocet. BRODIUS, pluribus experimentis institutis monstravit, eam inflammationem non veneno absorpto, et cum sanguine misto, tribuendam esse; sed membranam

mucosam inflammari, ob hoc venenum, quod est peracre, rodendique potentissimum, ei contactu admotum. Idem vir praeclarus contendit, cor et cerebrum eodem tempore laedi, propter consensum mirabilem, quo haec viscera cum ventriculo committuntur. BRODIUM recte de hac re judicasse opinor. Neque tamen credibile est, hoc venenum non omnino absorberi: illud solum, ni fallor, BRODIUS declarare vult, BICHLORIDEM HYDRARGYRI tanta vi rodendi et inflammandi praeditum esse, ut inflammationem gravem prius movere, quam vasa absorbentia subire potuerit. Pauca enim venena non absorbentur; nisi equidem ob copiam insignem datam, et exedendi facultatem maximam, antea fabricam ventriculi et ejus vasorum diruant, quam vasis absorbentibus munere perfungi liceat.

Quae jam disserui, firmari videntur, in animo perpensis signis hoc veneno parce et crebrius ingesto ortis. Siquidem haec signa parum aut nihil ab iis discrepant, quae *unguentum hydrargyri* cuti summae infricatum molitur; nullus dubito, quin sanguini circumfluo hoc veneno imbuto debeantur. Hinc denique patet, cur singulae partes corporis humani, membranae, ossa, cartilagines, ligamenta, glandes, &c. vitiosae fiant.

CCXXI. DE BICHLORIDE HYDRARGYRI POST MORTEM DETEGENDO.

Quum *chemici* usu didicerunt hunc salem, secus

atque ACIDUM ARSENOSUM, quam facillime ab alimentis ventriculo inclusis dissociari: aliquanto difficilius est eum clare patefacere; sequitur, ut experimenta ei deprehendendo habilia paucis exponam.

EXPERIMENTUM I^{MUM}.—Si liquor, cui BICHLORIDEM HYDRARGYRI inesse suspicamur, in laminam auream infunditur; et deinde lamina ferrea hanc ita tangit, ut circulus *galvanicus* fiat: protinus aurum candebit; cum *hydrargyro* scilicet sociatum.

EXP. II^{DUM}.—Si ferrum liquori ante dicto submergitur; illico in CHLORIDEM FERRI convertitur, necnon HYDRARGYRUS, ipse praecipitatur: si scalpellus communis huic periculo objicitur, nigrescit, simul evoluto *carbonio;* scalpelli enim ex *carbureto* ferri constant.

EXP. III^{TIUM}.—Si aqua *carbonate potassae* satura liquori, quem BICHLORIDEM HYDRARGYRI habere suspicamur, adjicitur; praeceps decidit natura *subrubra,* lateribus tritis colorem similis; (dummodo venenum adsit) quae est *percarbonas hydrargyri;* supernatat *murias potassae.* Si *subcarbonas potassae* adhibeatur; natura dejecta rubrior est; composita ex *carbonate hydrargyri* et *peroxydo* ejusdem simul mistis.

EXP. IV^{TUM}.—Si liquori suspecto additur aqua *ammonia* imbuta, decidit res candida, scilicet, *submurias hydrargyri et ammoniae*: quae fervefacta flavet; et demum rubet: porro, si ORFILA fidendum, calore summo admoto, in *ammoniam, nitrogenium,*

hydrargyrum atque CHLORIDEM HYDRARGYRI, redigitur.

EXP. V^{TUM}.—Si liquori suspecto adjicitur aqua calce satura; sequitur ut res flava pulcherrimi coloris demittatur; quae est *peroxydum hydrargyri;* supernatante *muriate calcis.* Quod si minus aequo calcis adhibeatur; praecipitatur *submurias peroxydi,* ejusdem pene coloris.

EXP. VI^{TUM}.—Si liquori suspecto indatur aqua *nitrate* stanni imbuta; illico dejicitur res admodum fusca vel subatra. Hoc documentum perquam subtile est.

Commune est, his quatuor experimentis (scilicet III^{tio}, IV^{to}, V^{to}, et VI^{to}), res omnes praecipitatas tabulae cupreae infricatas, efficere ut haec, argenti instar, albescat; eo quod cuprum et *hydrargyrus* coëunt.

Denique, quo hoc venenum ab ACIDO ARSENOSO, dignoscatur, BRUGNATELLIUS hoc experimentum excogitavit. Si faecula e tritico deducta aqua IODINO colorata miscetur; ACIDUM ARSENOSUM, aut BICHLORIDES HYDRARGYRI adjectum, colorem purpureum delet: quod si BICHLORIDES HYDRARGYRI colorem sustulerit, *acidum sulphuricum* infusum eundem non renovat: si contra ACIDUM ARSENOSUM liquorem dealbaverit, color *acido sulphurico* renovatur.

CCXXII. DE REMEDIIS UTENDIS.

Siquidem *alcalia*, quaedam terrae, *hydrogenium sulphuretum*, *saccharum*, aqua cortice *Cinchonae officinalis* imbuta, atque HYDRARGYRUS, facultate donantur BICHLORIDEM HYDRARGYRI dissociandi; multi medici iisdem pro remediis uti non dubitarunt. ORFILA tamen luculenter edocuit, haec omnia prorsus inepta et contemnenda esse; siquidem res novae, quae ex iis atque BICHLORIDE HYDRARGYRI coëuntibus gignuntur, haud minus exitiabiles sunt, quam ipse BICHLORIDES. Oportet igitur alia remedia inquirere.

Albumen ovi utile fore videtur: si enim *albumen* BICHLORIDE HYDRARGYRI miscetur, nova fit res innocua, ex *albumine*, *acido muriatico* et *protoxydo hydrargyri* confecta. Usu docemur hoc remedium saepe valere; si postea medicamina ingerantur, vomitui movendo accommodata. Quoniam *glutinis* est, haud secus atque *albuminis*, BICHLORIDEM HYDRARGYRI in CALOMELANA convertere, pulvis tritici seminum aqua mistus remedium idoneum est.

CCXXIII. DE OXYDIS HYDRARGYRI RUBRIS, ATQUE EORUM ACTIONE EXITIOSA.

Duo *oxyda hydrargyri* rubra apud chemicos memorantur; quorum unum metallo igni atque

aëri aliquamdiu objecto; alterum metallo actioni *acidi nitrici* et caloris subjiciendo, conficiuntur. Illud unicum recte *Peroxydum hydrargyri* vocatur: hoc enim e *peroxydo hydrargyri* et paululo *acidi nitrici* constat; atque rite nominatur *Subnitras hydrargyri* rubrum. Quantumcunque sane *oxyda* hujus metalli inter se discrepent, pro ratione praeparandi, atque prout sincera sint, aut pauxillo *acidi* cujusvis adjuncta; hoc tamen *chemiae* scientes noverunt, duo tantummodo *oxyda hydrargyri* existere; scilicet, nigrum atque rubrum.

Oxydum hydrargyri rubrum, id est, igne confectum, ab *subnitrate* dotibus oculo evidentibus facile dignoscitur: colore subrubro praeditum est, qualis lateribus contingit; quod ad particularum formam, granatum est: alterum contra e squamis coccinei coloris constat. Utrumque calefactum *gas oxygenium* praebet, metallo superstite.

Oxydum rubrum perraro ad venenandum datur; mitius est quam alia multa ex *hydrargyro* praeparata: quod si copia justo major admoveatur, eadem fere mala, quae ex BICHLORIDE parce et crebro ingesto, nascuntur.

Subnitras hydrargyri rubrum longe acrius est, atque venenando aptius: cujus rei rationem me latere fateor. Dolor *colicus*, vomitus vehemens et frequens, tremor artuum, sudor gelidus, praeter alia mala, huic cum reliquis *hydrargyri* salium communia, hoc largius sumpto oriri traduntur.

Si medicus, veneno jam ingesto, aegro intersit, ventriculum vomitu vel (quod melius est) instru-

mento "*stomach pump*" dicto, solicitare opus erit. Quod si venenum absorptum glandes salivae secernendae dicatas, gingivas, dentes, cutem, membranas mucosas, &c. denuo corruperit; *sulphur* atque *sulphuretum potassae* opem latura esse videntur. Quod ad alia ex *hydrargyro* praeparata, ea quae supra de BICHLORIDE proposui reliquorum salium actionem perniciosam, atque detegendi rationem, satis mihi illustrare videntur. ACCUMUS nos certiores fecit, caseum subinde *sulphureto hydrargyro rubro* inquinari; hujus simul rei oblitus, vim ejus exitiosam *peroxydo plumbi* misto deberi. Hoc vero subesse comperiri potest, caseo suspecto aliquantulo panis misto flammae objiciendo: protinus enim particulae ex plumbo ipso confectae prodeunt: nimirum, *carbonium* a pane deductum *oxygenium oxydo* plumbi submovet.

CCXXIV. DE ANTIMONIO EJUSQUE SALIBUS EXITIOSIS, SIGNISQUE INDE EXORTIS.

ANTIMONIUM, instar aliorum metallorum, per se corpori humano pene innocuum est: contra ejus *oxyda*, et praesertim haec *acidis* adjuncta, venena sunt luctuosa. THENARDUS contendit hoc metallum sibi adsciscere posse sex definitos *oxygenii* modos; id est, sex *oxyda* inter se diversa fieri posse. Iis tamen assentiri malo, quibus duo tantummodo *oxyda* esse videntur. Ex his vero *protoxydum* unice venenandi potestate donatur: quod rarius ad-

hibetur, aut ad morbis medendum, aut ad venenandum: *acidis* tamen adjunctum in sales acerrimos convertitur, valetudinique secundae tuendae aut diruendae aptissimos, pro ministrandi ratione. Inter hos praepollet TARTRAS ANTIMONII ET POTASSAE: de quo proximum est, ut pauca exponam.

DE TARTRATE ANTIMONII ET POTASSAE.—Hic sal jam diu medicis innotuit: atque ex omnibus hujus metalli salibus utilissimus est. Quamvis diu medici eo uti consuerunt, de ejus natura *chemica* alii aliter sentiunt. Plerisque sal triplex esse videtur; id est ex *acido tartarico* cum natura duplici, *potassa* atque *oxydo antimonii*, sociato. Potius iis assentior, qui *supertartras potassae acidi* sinceri vice perfungi opinantur: contendunt enim *supertartras potassae* multa *oxyda*, non *acido tartarico* ipsi solvenda, dissolvere posse: ni haec opinio eos fefellit, sequitur *supertartras potassae*, quoties *oxydo antimonii*, vel aliis *oxydis* adjungitur, haud inepte *Acidum potassa-tartaricum* nominari: ideoque salem, quem prosequor, esse *Potassa-tartras antimonii*. Aquae purissimae bullientis librae tres unam hujus salis libram; aquae, cujus temperiem gradus LX^{mus} instrumenti Fahrenheitani indicat, librae XV unam ejusdem libram, dissolvere valent.

Si crucibulo inclusus fictili, prunis admotis, incandescit, in *antimonium* ipsum et *subcarbonas potassae* redigitur, evolutis *acido carbonico*, et aquae vapore.

De signis tartrate antimonii et potassae pro veneno, ingesto ortis.—Quoniam hic sal vomitus ciendi potentissimus est, satis constat perraro eundem venenare; siquidem longe saepissime totus respuitur: quod si nervus vagus laesus, aut venenum *narcoticum* acceptum, ventriculi fibras eo usque resolverit, ut homo vomere nequeat; tartras antimonii procul dubio eventus admodum funestos movere potest. Orfila nos edocuit hoc venenum diu ob causas jam dictas retentum multa signa gravissima ciere; scilicet, os sapore austero offensum; nauseam; vomitum vehementem: singultum crebrum; *cardialgiam;* ardorem ventriculi; dolorem ventris, qualis *colica* enascitur; ventriculi et intestini inflationem; dejectiones crebras; animae defectionem; pulsus arteriarum exiles et frequentes; cutem modo gelidam modo ardentem; spirandi difficultatem; demumque, vertiginem, stuporem, nervorumque distentiones, morte finiendas.

CCXXV. DE SIGNIS, CADAVERE SECTO DETEGENDIS.

Brodius, patefactis eorum corporibus, quos tartras antimonii enecuerit, alias ventriculum signa solita inflammationis praegressae sibi praeferre; alias, omnino integrum reperit. Nunquam intestinum inflammatum invenit. Majendius contra longe aliter de hac re scripsit, experimentis confisus: quae paucis enarrare haud alienum duco. Hic me-

dicus, TARTRATE ANTIMONII soluto in venas canis injecto, signa jam memorata (CCXXIV) in mortem abire notavit. Cadavere patefacto, pulmonem reperit, firmum, crepitu naturali destitutum, purpureum; membranam intimam alimenti meatus a *cardia* usque ad *rectum* aequo rubriorem; quasi ejus vasa ceram rubram liquefactam accepissent.

Quod si TARTRAS ANTIMONII ventriculo canis, non venis, committitur, atque ima pars gulae ligatur, quo minus animal vomitu venenum ejiciat; ORFILA affirmat, eosdem effectus supervenire, qui hoc veneno in venas injecto enascuntur. Denique, hic vir perceleber edocuisse videtur, TARTRAS ANTIMONII ACIDO ARSENOSO, quod ad actionem, simillimum esse: hoc sane excepto, quod in venam injectum cujusvis animalium quae vomere possunt, vomitum fere movet.

CCXXVI. DE RATIONE, QUA TARTRAS ANTIMONII LAEDIT.

Experimentis antea dictis fretus, (nec video cur iisdem diffidamus), judicare haud dubito, hoc venenum laedere et demum necare, eo quod ad sanguinem circumfluentem delatum partes interiores vitae necessarias, praecipue cerebrum, afficit. Cerebrum praesertim pati docere videntur stupor, vertigo, atque *paralysis;* quae hoc venenum ingestum, vulnerive aut venae commissum, excipiunt. Neque vero nihili actionem habeo, qua hoc venenum ingestum membranam mucosam contactu irritat.

CCXXVII. DE TARTRATE ANTIMONII ET POTASSAE POST MORTEM DETEGENDO.

Si TARTRAS ANTIMONII et POTASSAE concretum ventriculo mortui subducitur, oportet idem aqua bulliente dissolvere: optime convenit, ut aqua et sal, quod ad pondus, eandem inter se rationem habeant, quam ii numeri, XVI atque I.

a. Si liquori jam dicto adjicitur *hydro-sulphuretum* cujusvis *alcalium;* illico res rubro-flava decidit; scilicet, *hydro-sulphuretum oxydi antimonii,* vel, ut alii volunt, *sulphuretum* metalli. Hoc vero carbone ligni misto, et dein calefacto, *antimonium* gignitur: cujus rei ratio in aprico est.

b. Si liquori ante dicto *tinctura gallarum* additur, natura subalbida, vel subflava, protinus demittitur. Hoc experimentum indici lucidissimo existimatur.

c. Si aqua *calce* satura cum liquore jam relato miscetur; natura alba dejicitur, *acido nitrico* sincero ex facili dissolvenda: *tartras calcis* et *tartras antimonii* hic demittuntur.

d. Si *acidum sulphuricum* forte liquori jam memorato inditur, *subsulphas oxydi antimonii,* res candida, praeceps cadit. Si plus ejusdem *acidi* infunditur, *subsulphas* cito dissolvitur; eo quod in *supersulphas* convertitur.

e. Si EXTRACTINA, id est, principium illud plantarum, cui nomen '*Extractive principle,*' liquori ante memorato affunditur; descendit natura rubro-flava, ex *oxydo antimonii* et *extractina* confecta.

CCXXVIII. DE REMEDIIS UTENDIS.

Quamprimum venenum subducere oportet. Hunc in finem, *sulphate zinci* aut cupri, aut radice *Callicoccae ipecacuanhae*, aliisve vomitui ciendo aptis, utendum. Quibus minus valentibus, vel ob aliquam causam, minus convenientibus, instrumentum, quod "*Stomach-pump*" nominatur, adhibere oportebit. Praeter haec, siquidem aqua cortice *Cinchonae officinalis* aut *gallis* saturior, aut aqua foliis Theae viridis imbuta, et alia ejusmodi, facultate *supertartras potassae* dissociandi praedita sunt: aliqua eorum recte conceduntur, remediis, quae vomere faciant, adjuncta. Nequaquam autem iis solis innitendum est.

CCXXIX. QUAEDAM DE SALIBUS CUPREIS.

Cuprum ipsum, haud secus atque pleraque metallorum, vix ulla potestate venenandi pollet. Vasa igitur cuprea cibis coquendis dicata, hos nulla vi exitiosa donare possunt, nisi res coctae cuprum in *oxydum* convertere queant. Neque sane plus aequo vituperari potest consuetudo ista prava varias res terra natas *acido acetico* et seminibus *aromaticis* conditas, ope vasorum cupreorum, coquendi.

Oxidum cupri, etsi perniciosum sit, parum nocet, nisi *acidi* cujusvis, aut *ammoniae*, ministerio solvatur; aut oleis fixis, vel adipe; quae omnia ex facili hoc *oxidum* dissolvere valent.

CARBONAS CUPRI VIRIDE sua sponte tabulas cupreas aeneasve, aëri circumfluo objectas, obducit. Ab *oxydo* colore viridi dignoscitur; eo quod porro *acido sulphurico* diluto mixtum effervescit, ob *acidum carbonicum* evolutum. Manifestum est omnia, quae *oxydum* dissolvunt, pari ratione *carbonas* solvendo habilia esse. Ex jam dictis, satis patet, non solum vasa cibis coquendis dicata; verum etiam, ea quae vina omnia, cerevisias, aut aquam *supercarbonate sodae* imbutam continent, parum recte ex cupro aereve fieri. Certeve asserere licet, si vasa cuprea adhibeantur, superficiem interiorem stanno esse obducendam.

AERUGO, quam vernacule VERDIGRIS vocamus, res multiplex est; scilicet, ex *acetate* cupri, *subacetate* ejusdem, *carbonate* cupri, *oxydo* ejusdem, atque cupro ipso, simul mistis composita; praeter multas naturas alienas. Aerugo, aqua bulliente affusa, quadam ex parte solvitur: *subacetas*, nimirum, in *acetas* atque *oxydum* cupri convertitur; quorum illud solvitur, hoc praeceps decidit. Quod si aqua frigida AERUGINI additur, mutatio jam dicta non accidit: sed *acetas* cupri dissolvitur, atque *subacetas*, uti pulvis viridis per liquorem diffunditur. *Acidum aceticum* AERUGINI adjectum, totam eam in *acetas* cupri aqua dissolvendum vertit. Si *acidum sulphuricum* AERUGINI inditur, fit *sulphas* cupri, evoluto *acido acetico* fortiori.

SULPHAS CUPRI, sal est momenti summi; sive vires ejus medicinales, sive facultatem venenandi respiciamus. *Chrystallos* coeruleas, admodum pul-

chras exhibet, sapore peracri atque austero praeditas, qualis plerisque astringentium contingit; quae aëri circumfluo objectae sensim, aqua subducta, efflorescunt. Ab AERUGINE facile discernitur; non solum colore coeruleo; verum etiam, quod non affuso *acido sulphurico*, effervescit.

CCXXX. DE SIGNIS SULPHATE CUPRI, PRO VENENO SUMPTO, EXORTIS.

Si SULPHAS CUPRI, aut quivis alius salium cupreorum ingeritur, os sensu saporis, austeri et sui similis offenditur: eas voces, "sui similis" adhibeo; eo quod aeger hujus rei interrogatus, atque veneno sumpto sibi ipsi ignoto, nunquam non saporem cupreum, vernacule, A COPPER TASTE, queritur. Huc accedunt dolor capitis, lingua et fauces arida, sitis molestissima, nausea, vomitus; dolor ventris; dejectiones creberrimae, subvirides, interdum subatrae aut cruentae: necnon sordes cuprea frequenter ructata. Praeter haec cutis subinde maculis lividis, aut coloris inter purpureum, flavum atque viridem medii efflorescit: abdomen non solum dolet; verum etiam praeter naturam tumet: cutis incalescit: arteriae exilius et citius aequo, atque simul imparibus intervallis, micant: spirandi difficultas exercet: quibus malis ingravescentibus, aeger assidue singultit; anima crebro deficit: cutis gelido diffluit sudore; artus convelluntur; morsque hominem tantis aerumnis eripit.

CCXXXI. DE SIGNIS CADAVERE PATEFACTO, DETEGENDIS.

Si quem enecuerit SULPHAS CUPRI ingestum, aut quivis salium cupreorum; membrana mucosa meatus alimenti universi, maximeque ventriculi et intestini; modo membranae omnes, inflammationis praegressae, imo vero gangraenae ipsius, notas ostendunt. Interdum cerebrum signa istiusmodi exhibet; quod tamen perpetuum non est. Humores ventriculo atque intestino conclusi virere solent.

CCXXXII. DE RATIONE, QUA SULPHAS CUPRI LAEDIT.

Duplici ratione hoc venenum nocere videtur: imprimis, si aqua eo saturrima ingurgitatur, membranam interiorem alimenti meatus contactu irritat; eoque inflammat: deinde, ni tanta ejus copia assumpta fuerit, ut ventriculi fabricam pene diruerit, et mortem repentinam homini adsciverit; pars ejus absorpta sanguinem circumfluentem adit. Notae inflammationis, quas cerebrum subinde ostendit, aliaeque istiusmodi, satis superque hanc rem illustrant.

CCXXXIII. DE SULPHATE CUPRI, &c. DETEGENDO.

Duplici modo hoc venenum detegi poterit, aut adjectis indicibus variis, qui faciunt ut naturae colo-

ratae dejiciantur, in cuprum dein ope caloris atque *carbonii* redigendae: aut sorde ventriculo inclusa per calorem ingentem exsiccata, ita ut denuo metallum ipsum prodeat. Meminisse simul oportet, quosdam, hoc veneno vorato, perire; etsi ingestis vomitu excretis, aut post mortem repertis, omnino desit; neque hoc accidere, ob venenum penitus absorptum; verum etiam ob aliquantum ejusdem membranae ventriculi intimae nexu intimo adjunctum. Quoties haec membrana veneno cupreo sic inquinatur, praeter naturam subcoerulea fit, atque densa: arctissimeque membranae musculosae agglutinatur. Quo venenum patefiat, membranam mucosam arte subductam, et crucibulo inditam, calefacere opus erit, quo metallum ipsum patefiat.

a. Si *oxydum* cupri e ventriculo extrahitur, ejus natura eo clarius patebit, si auxilio carbonis ligni atque caloris in metallum ipsum vertitur.

b. Quod si tantulum *oxydi* adsit, ut vix experimento jam dicto subjici possit; *acido acetico* adjecto, *acetas cupri* conficere praestabit. Cui aqua dissoluto si tabula ferrea submergitur, protinus tunicam cupream circumjectam sibi praeferet; id est, pars ferri, *oxygenio* cupri *oxydo* erepto, in *oxydum* ferri vertitur; quod illico cum *acido acetico* sociatum fit *acetas ferri*, cupro simul praecipitato, istamque tunicam conficiente.

c. Si aqua *ammonia* imbuta *acetati cupri* liquido jam dicto affunditur; illico liquor admodum purpurascit: quod luculenter *oxydum* cupri subesse testatur.

d. Si *subcarbonas potassae* aqua dissolutum *acetate cupri* liquido ante relato miscetur, *carbonas oxydi cupri,* subcoerulei coloris, statim dejicitur.

e. Si *ferro-borussias potassae* aerugini dissolutae additur: natura fusca praeceps cadit; quae ex *borussiate cupri* atque *borussiate ferri* componitur: supernatat vero *acetas potassae.*

f. Prae omnibus, si *arsenis potassae* aqua *solutus* vel *acetati* cupri, vel cuivis alii salium cupreorum liquido, adjicitur; statim *arsenis cupri,* vernacule "*Scheele's green,*" descendit. Haud ullus ex omnibus cupri indicibus hoc subtilior est: caeteris eo praestat, quod modus hujus veneni perexiguus ejus actioni patet.

CCXXXIV. DE REMEDIIS UTENDIS.

Longe melius est hoc venenum evitare, exclusis omnibus vasis cupreis, uti jam proposui, quam de remediis utendis agere. Nescio sane an ulla remedia facultate hujus veneni obtundendi polleant. Si vomitu ope radicis *Callicoccae Ipecacuanhae* illato, venenum ejicere non licet; quam celerrime, instrumento, cui nomen "Stomach Pump" utendum erit. Liquoribus dein mulcendo idoneis, membranam mucosam tueri opus erit; quo minus irritetur, si quid veneni adhuc intus lateat. Si inflammatio exardeat, remediis in inflammationem aptis, pro virium ratione adhibitis, debellanda erit.

CCXXXV. QUAEDAM DE STANNO, EJUSDEMQUE MURIATE.

STANNUM ipsum omni potestate nocendi vacat: id quod edocent experimenta multa a BAYENO atque CHALARDIO instituta. *Murias* autem stanni maxima vi rodendi praeditum est. Ingestum vomitum movet, vires animi et corporis prosternit; atque nervorum distentiones demum lethales infert. Cadavere introspecto, post mortem hoc veneno oriundam, membranae ventriculi aequo densiores esse videntur, simul rugosae; perinde quasi, *tanina* accepta, in corium versae fuerint: neque vero nigricant. Quum vero hic sal nulli fere utilitati inservit, aut apud medicos, aut eos, qui rebus domesticis intersunt; ideoque perraro ejus vim exitiosam videre licet: de nocendi ratione, aut experimentis ei patefaciendo idoneis, disputare vix opus est. Quomodo equidem laedit, satis indicare videntur, quae huc attinentia de aliis venenis jam proposui. Quod ad remedia, caeteris praepollet lac; quippe quod *murias stanni* coagulat, et simul iners reddit.

CCXXXVI. DE ZINCO EJUSQUE SULPHATE.

Antiqui ZINCUM haud prorsus ignorasse videntur: accepimus enim aes ab iis confici solitum esse, ex cupro et natura effosa, quam *Cadmiam* vocarunt, inter se mistis igneque liquefactis. Neque vero

antiqui *Zincum* ipsum e *Cadmia* extrahere potuisse videntur.

ZINCUM est metallum nitidum, albidum, e pluribus laminis tenuibus confectum. Pondus ejus *specificum* numero 7.1 insignitur. Crucibulo inditum, et prunis objectum, liquescit: dein *oxygenio* ab aëre circumfluo accepto, comburitur, evoluta flamma candente, vel potius subviridi atque lucidissima. In sublime feruntur simul fumi albi et densi, qui floccos referunt; nimirum, *oxydum zinci* album.

Etiamsi ZINCUM, haud secus atque alia metalla, merum nocendi sit impotens; facile tamen aquam, *acida* plantarum vel mitissima, butyrum, et quosdam sales, afficit; et exinde ea omnia plus minusve perniciosa reddit. Hinc docemur vasa cibis coquendis, aut condimentis aut salsamentis retinendis dicata, non e ZINCO conficienda esse.

Sulphatis zinci terra uberrima est. Effossum perraro rebus alienis, praecipue *sulphate* cupri non miscetur. Purissimum *chrystallos* exhibet candidas, saporis austeri et aciduli. Quinque librae aquae frigidae, cujus temperies gradu LX^mo^ instrumenti Fahrenheitani monstratur, duas hujus salis libras dissolvendo sunt habiles: aquae vero bullientis minus quam libra ad integram ejus libram solvendam valet.

CCXXXVII. DE SIGNIS ALICUJUS SULPHATE ZINCI VENENATI.

Quoniam *Sulphas zinci*, instar *Tartratis antimonii* atque *Sulphatis* cupri, vomitus ciendi potentissimum est, perraro tamdiu ventriculo inhaerere potest, ut actio exitiosa patescat. Corporum vero proprietates tot sunt, tantumque inter se discrepant, ut subinde mala luctuosissima progenuerit. ORFILA, aliisque fide dignis testantibus, haecce interdum signa nascuntur; nimirum, os sapore perquam austero exasperatum, sensus faucium quasi constrictarum, tantus equidem ut homo mox strangulandus sibi videatur: vomitus crebrior: alvi dejectiones frequentes: dolor, initio ventriculo infixus, postea ventrem universum permeaturus: spirandi difficultas: pulsus arteriarum languidi et citissimi: denuoque summa virium resolutio, vultu pallido, artubus frigentibus et trementibus, sudoreque gelido insignita.

CCXXXVIII. DE SIGNIS CADAVERE SECTO, REPERTIS VENENANDIQUE RATIONE.

Nulla, quantum mihi liquet, exempla hominum hoc veneno necatorum literis mandantur: accepimus, ORFILA testante, quoties belluae hoc veneno occisae perierunt, partes omnes membranae intimae meatus alimenti ab eo tactas notas inflammationis non sane gravissimae sibi praeferre. Modo cruor subater, vasis sponte diruptis, inter membranam mus-

culosam atque mucosam effusus, oculis patet. Quibus confisi notis judicamus *sulphas zinci* contactu ventriculum et intestinum inflammare, ob vim qua pollet, irritandi aut rodendi. Quantum ei absorpto et sanguini circumfluenti immisto debeatur, proponere non audeo.

CCXXXIX. DE SULPHATE ZINCI DETEGENDO.

a. Siquidem *Sulphas zinci* effossum, nondum expurgatum, paululo *sulphatis* ferri inquinatur, si *potassa* vel *ammonia* ei aqua dissoluto adjicitur, *oxydum* coloris inter subviridem et albidum medii dejicitur; id est, *oxydum zinci* album pauxillo *oxydi* ferri mixtum. Quo fit, ut *potassa* vel *ammonia sulphati zinci* puro indita *oxydum zinci* album demittat.

b. Si *borussias potassae sulphati zinci* effosso additur, praeceps decidit res coerulea; quae ex *borussiate zinci* et *borussiate* ferri inter se sociatis constat. Quod si *borussias potassae sulphati zinci* alienis omnibus vacuo adjicitur; sequitur, ut *borussias zinci,* colore albo praeditum subsidat.

c. Hydro-sulphuretum potassae sulphati zinci effosso inditum, facit ut res subnigra praeceps cadat; nempe *hydro-sulphuretum* ferri atque *zinci:* si vero *sulphate zinci* expurgato utimur, *hydro-sulphuretum zinci,* coloris albidi, aliquantum sane ad flavum spectantis, descendit.

CCXL. DE REMEDIIS UTENDIS.

Si quando modus amplior SULPHATIS ZINCI ingestus non vomitum tam vehementem movet, ut ipsum exinde ejiciatur; judicare licet ventriculi fibras et nervos eo usque torpere, ut vomitus nullo medicamento ciendus sit. Quibus perpensis, manifestum est, instrumento, vernacule "*Stomach Pump*" dicto, quam primum utendum esse. Huc accedere oportet liquores mulcendo accommodatos. Inflammationis signa remediis solitis debellanda erunt.

CCXLI. QUAEDAM DE ARGENTO, EJUSDEMQUE NITRATE, EORUMQUE POTESTATE VENENIFERA.

Quamvis argentum ipsum corpori humano nihil nocere potest, *nitras* argenti sal est acerrimus, rodendo habilissimus; ideoque venenandi praepotens. Hunc salem perinsigni facultate pollere exedendi, medici optime noverunt; eundemque saepe admovent, quo partes corporis vitiosas integris disjungant. Si copia *nitratis* argenti ingens in ventriculum accipitur, inflammationem quaesitissimam movet; ob vim, qua praeditum est, membranae, cui admoveatur, irritandae. Eadem fere signa nascuntur, quae jam ex salibus cupreis et *muriate* stanni voratis exoriri praedicavi; eademque vitia, inciso atque introspecto cadavere, patefiunt.

Quod ad nocendi rationem; si modus tantus ven-

triculum subierit, ut fabricam membranae intimae extemplo diruerit, mortem prius accedere posse, quam venenum humores circumeuntes adierit, usu docemur. Quod si, hoc veneno parcius concesso, multaque aqua dissoluto, inflammatio ventriculo mitior accenditur, non protinus occisura ; proculdubio pars ejus absorpta ad humores circumeuntes defertur. Quod ad *nitras* argenti attinet, facultas ista memorabilis, qua interdum pollet, summae cutis denigrandae, aut colore purpureo imbuendae, clare idem cum sanguine misceri denuntiat.

CCXLII. DE NITRATE ARGENTI DETEGENDO.

Si quem NITRAS ARGENTI ingurgitatum occiderit, vix aut ne vix quidem, non sequitur ut *murias* argenti intra ventriculum conficiatur. Non solum enim fere omnia ciborum genera, quibus homines vesci consuerunt, *muriatis sodae* ope, condiuntur ; verum etiam succi ipsi, quos arteriae membranae intimae ventriculi inspersae secernunt, hoc sale plus minusve imbuuntur. Quod si permagna hujus veneni copia ventriculum adierit, verisimile est non nisi partem ejus exiguam a *muriate sodae* cibi aut succorum ventriculi proprio, dirui : ideoque copiam *nitratis* argenti experimentis instituendis aptam ingestis arte subduci posse. Haec vero experimenta ejus naturam quam clarissime indicant.

a. Si NITRATI ARGENTI aqua dissoluto *acidum muriaticum,* aut quodvis *muriatum* aqua solvendo-

rum affunditur: statim praeceps cadit natura gravis atque candida, luce admota denigranda; quae est *murias* argenti, potiusve *chlorides*: *ammonia* hujus solvendi potens est; at neque aqua, neque *acidum nitricum* huc valet. Nescio an *chemia* indicem hoc subtiliorem habeat: granum enim unicum *nitratis* argenti unciis aquae decem, ampliusve liquatum, *acido muriatico* indito, patescit. Pari ratione, granum unicum cujusvis *muriatum*, quae aqua solvendo habilis est, pluribus aquae unciis liquatum, *nitrate* argenti quam facillime deprehenditur.

b. Si aqua *potassa*, *soda* aut *calce* imbuta *nitrati* argenti liquido additur, *oxydum* argenti fusco-nigrum illico descendit. *Ammonia* nihil dejicit; siquidem *ammoniaretum argenti*, cujus solvendi aqua potens est, conficitur.

c. Uti *nitras* argenti *acidum arsenosum* adesse indicare potest (Vide CCXIV), sic quoque *arsenis potassae* indici lucidissimo est *nitratis* argenti; scilicet *arsenis* argenti, colore flavo praeditus, dejicitur.

Si, omnibus hisce experimentis rite exactis, dubitando sit locus (id quod vix mihi fieri posse videtur) quo medicus certior fiat, res dejectas carbone ligni vel oleo mistas prunis objicere oportebit: quo metallum ipsum, *oxygenio* abstracto, prodeat.

CCXLIII. DE REMEDIIS UTENDIS.

Satis superque jam memorata ostendunt, *murias sodae* remedio esse valentissimo, quippe quod non solum *nitras* argenti dissociat; verum etiam res nova confecta, nempe *murias* argenti, omni vacat pernicie; siquidem neque aqua, nec succi ventriculi ad id solvendum valent.

CCXLIV. DE ACIDIS ACRIORIBUS.

Ex venenis omnibus, quae membranis rodendis nocent, nulla jure meliori terrent, quam *acida* acriora. Quam celerrime enim meatus alimenti fabricam diruunt; anteaquam medico remedia idonea experiri liceat. Tantos simul cruciatus afferunt, ut, me judice, nemo nisi summa crudelitate praeditus, eadem belluis ministrare possit, quo melius eorum actionem intelligat. Quamvis omnium *acidorum* acriorum commune est, ventriculum atque intestinum quam celerrime rodere: cum tamen cuique actio quodammodo propria contingit, de singulis agere in animo est.

CCXLV. DE ACIDO SULPHURICO.

Hoc ACIDUM liquidum, id est, aqua saturum, apud hodiernos HYDRO-SULPHURICUM vocatur: pene decolor est, et oleum specie refert: si aliquantum *carbonii* sibi attraxerit, id quod saepe accidit,

subflavum colorem induit. Sapore peracido et acerrimo os irritat: si aqua miscetur, nascitur calor ingens; eo quod *acidum* dilutum caloris fit minus capax, mole simul contracta. Res omnes terra natae, veluti lignum, suber, stramen, panis, &c. in ACIDUM SULPHURICUM conjecta, resolvuntur, et nigrescunt, *protoxydo carbonii* facto. *Acidum hydro-sulphuricum* constare videtur e *sulphuris* partibus XXX, *oxygenii* XLV, aquae XVII. *Potassium, hydrogenium*, et alia quaedam *oxygenii* avida, huic *acido* indita, *oxygenio* abstrahendo, idem quam celerrime diruunt.

CCXLVI. DE SIGNIS ACIDO SULPHURICO INGESTO ORTIS.

Ingurgitato hoc acido, os sapore austero, acidissimoque afficitur. Sensus doloris et ardoris a faucibus summis per *pharyngem* et gulam ad ventriculum usque pertinere sentitur. Dolor ventriculi quaesitissimus, nausea et vomitus, torquent. Sordes vomitu ejecta, modo nigra, atramentum ipsum colore refert; modo, sanguinem coccineum vel purpureum continet. Inter vomendum, dolor vix patibilis canalem a ventriculo ad fauces permeat. Alvi dejectiones sunt cruentae: interdum alvus pigrior fit. Totus venter dolore manu premente aucto cruciatur; imo vero tactus levissimi non patiens. Huc accedunt dolor pectoris, spirandi difficultas, summa anxietas, pulsus arteriarum crebriores, exiles, intervallis imparibus; artus inhorrescentes, et summa in-

quietudo. Interdum, faciei musculi convelluntur cutisque purpureis efflorescit maculis. Notatu dignum est, (fateorque me id mirari) mentem inter haec fere integram esse.

Ubi ad ultima ventum est, *uvula*, palatum molle, partesque his proximae, vi vitali destituta, mollescunt, diruuntur, et decidunt: quo fit ut anhelitus quam maxime graveoleat, tussis assidua vexet; atque vox aut pereat, aut mutata vocem *Cynanche tracheali* laborantis simulet.

CCXLVII. DE SIGNIS SECTO CADAVERE REPERTIS.

Membrana intima canalis totius alimenti, praesertim faucium, gulae et ventriculi, penitus divulsa in naturam subatram et mollem convertitur; et quam facillime caeteris subducitur. Hae notae plus minusve late patere observantur, prout homo plus aut minus *acidi* ingesserit, idemque forte aut dilutum; necnon prout medicus ocyus aut serius auxilio venerit; atque remedia veneno delendo apta dederit aut praetermiserit.

CCXLVIII. DE RATIONE, QUA ACIDUM SULPHURICUM NECAT.

Longo sermone inquirere, quomodo *acidum* propositum hominem venenet, vix opus esse videtur. Quum satis liquet fabricam vitalem partium, quas

tangit, derepente et prorsus dirui, mortemque citissimam esse; statuere oportet, *acidum sulphuricum* occidere, membranas acerbissime exedendo; atque cordis et cerebri actione laedenda, prae nexu, qui haec cum ventriculo sociat.

CCXLIX. DE ACIDO SULPHURICO DETEGENDO.

Haud ullum fere *acidorum* facilius patefieri potest, quam *sulphuricum*. Imprimis, signa ipsa luctuosissima, quae infelix, eo sumpto, queritur, illico medicum paulo scientiorem docebunt, quoddam *acidorum* acriorum voratum fuisse.

Deinde; si sordes vomitu excreta in tabulam marmoream fortuito incidit; protinus effervescere coepit, ob *acidum carbonicum* marmoris proprium evolutum.

Si sordes eadem, aut quam canalis alimenti, cadavere introspecto, praebet, argento vivo mista calefiat; *gas acidum sulphurosum* in sublime fertur.

Si sordes jam memorata cuivis rei terra natae affunditur; veluti suberi, ligno, &c.; haec nigrescit.

Si denique *murias* aut *nitras barytae* sordi suspectae inditur; *sulphas barytae* album non omnino aquae dissolvendum praeceps cadit; dummodo *acidum sulphuricum* adsit. *Chemici* noverunt hunc indicem *acidi sulphurici* aut meri aut naturae *alcalinae*, terrae, *oxydove* metalli adjuncti, subtilissimum esse.

CCL. DE REMEDIIS UTENDIS.

Quam celerrime hoc *acidum* diluere, saturare et ejicere, medici erit. Permagni refert, quanam terrarum aut *alcalium*, ad id saturandum utamur. *Soda potassae* antecellit, eo quod *sulphas sodae* facilius solvitur alvumque purgat : utrique *magnesia* praestat. *Subcarbonas magnesiae* vel *sodae* potius quam alterutra mera, concedi debet : quamvis enim *acidum carbonicum* exinde evolutum molestiam affert, parum aut nihil caloris movetur, *acido sulphurico* et *subcarbonate* invicem mistis. Si *magnesia* non protinus medico in manibus adest, sapo durus aqua pura dissolutus bibendus : hic enim ex *soda* et oleo fixo constat ; quo fit, ut *sulphas sodae* intus fiat, dimisso oleo. His adjici debebunt potus mulcendo idonei; quales sunt lac, aqua *gummi Acaciae niloticae* imbuta. Si hisce rite ministratis, nec inutiliter, notae tamen inflammationis supersint ; sanguine mittendo, aliisque medicinae auxiliis in inflammationem aptis devincendae erunt.

CCLI. QUAEDAM DE ACIDO NITRICO.

Acidum nitricum liquidum et purissimum decolor est, fumosque candidos et peracres sua sponte evolvit : os sapore acidissimo exasperat ; rodendi potentissimum est ; atque summam cutem, si ei affunditur, colore aureo vix delendo tingit ; id quod hoc *acidum* proprie insignit. Si tantum aquae habeat, ut pondus *specificum* numero 1.5 indicetur,

constat ex *acidi* ipsius partibus 75.895, aquae partibus 25.105. Hoc *acidum* ex *nitrogenio* et *oxygenio* componitur: quae eandem habent inter se rationem, quod ad copiam, quam hi numeri 1 et 5. Omnia quae in ignem conjecta flammam concipiunt, ACIDO NITRICO affusa actionem vehementem cient, ejusque principia invicem dissociant.

Hoc ACIDUM *gasi oxydo nitrico* saepe inquinatur; unde aureum acquirit colorem; tantoque saturiorem, quanto plus adsit *oxydi nitrici*. Hoc *gasi* imbutum *Acidum nitrosum* vocatur: quod est non nisi *acidum nitricum* copia incerta *oxydi nitrici* donatum: hoc enim expulso, ope caloris vel aquae, superest *acidum nitricum* decolor.

CCLII. DE SIGNIS ACIDO NITRICO INGESTO ORTIS.

Si tanta copia ingeritur, ut mortem citam adsciscat; scilicet intra horas XXIV aut XXX (vix enim citius occidit), haec mala accedere consuerunt: totius canalis alimenti dolor cruciantissimus, et assidua corporis jactatio; vomitus sordis glutinosae et subatrae; artus frigentes; lingua alba aut subflava: venter tactus levissimi non patiens; cutis summa ubique frigida: demum singultus, spiritus gravissimus, pulsusque arteriarum exilissimi. Praeter haec, cupiditas frequens mingendi et desidendi multum torquet: urina simul parca nec citra dolorem gravem excernitur.

Si copia minor hujus veneni ingesta non citam

affert mortem, sed post aliquot dies enecat; signa pene eadem nascuntur, ut mitiora. Neque vero hoc perpetuum est: interdum enim modus amplissimus subito necat, citra gravem dolorem; et fabrica ventriculi et intestini repente diruitur. Contra, modus exiguus dolorem subinde acerbissimum, et alia mala gravissima, cievit: tandem elapsis multis diebus vel hebdomadis, membrana intima meatus alimenti divulsa pedetentim decidit; et infelix lenta tabe confectus serius ocyus absumitur.

Quidam, hoc veneno parcius sumpto, et remediis idoneis concessis, non pereunt; nec simul prorsus revalescunt: Hi reliquam vitae partem valetudine utuntur infirma: diu dolorem gulae et ventriculi queri non desinunt: alvus tardissima est: ventriculus irritabilis facile ad vomendum cietur, nec nisi cibos blandos retinere aut concoquere potest. Perraro, hoc veneno sumpto, valetudo integra redit.

CCLIII. DE SIGNIS CADAVERE SECTO REPERTIS.

Quos ACIDUM NIRTRICUM cito enecuit, his summa cutis integra nullam mutationem vitiosam, imo vero vix notas putredinis, sibi praefert; at nitet et gibba est, haud secus atque homine jam spirante. Labra aurescunt plus minusve: interdum manuum digiti maculis aureis foedantur, eo quod *acidum* ingestum eos prius fortuito tetigerit. Humore ejusdem coloris os et nares scatent; abdomen aëre tur-

get. Membrana oris flava est, aut subalbida; hic illic deficit. Dentes laxati fere flavescunt. Membrana *pharyngis* mucosa eundem sibi praefert colorem; vel interdum subrubra est. Gulam universam obducit sordes flava et viscida, quae est membrana intima ACIDO NITRICO densata. Caeterae gulae membranae fuscae sunt, ob cruorem fusum.

Ventriculus, nisi venenum membranas ejus omnes exederit, aequo grandior apparet: membranae exteriores notas inflammationis mitiores exhibent; praecipue, circa *pylorum*. Quod ad colorem, medius est inter lividum et flavo-viridem, hic illic sparsis maculis gangraena ortis. Ventriculus praeter naturam partibus vicinis agglutinari conspicitur; scilicet septo transverso, jecinori, *colo*, &c. Vasa ejus cruore atro et coacto plena sunt. Quaedam ventriculi partes adeo sunt tenerae ut levi tactui cedant, sponte sua dirumpendae. Notatu dignum est aëris multum ventriculum distendere; quod eodem nares odore offendit, quo *amygdali amarae* fructus, vel *acidum hydrocyanicum*. Multum porro rei flavae antea relatae ventriculo inest: cujus arcus major maculis foedatur nigris. Rugae ventriculi fuscae sunt, et admodum molles. Intestinum omnia vitia jam memorata, at mitiora, habet. Quoties ventriculus foramina sibi praefert, ob ingentem *acidi* copiam sumptam, moles ejus fere contrahitur. Haec foramina exigua sunt, et circulos figura simulant, marginibus tenuissimis instructa. Urina vesicae deest, etsi homo non eam excreverit. Quod

si quis, veneno parcius sumpto, lenta morte absumitur, notae longe jam dictis alienae prodeunt. Hoc potissimum memorabile est; totum corpus quam maxime extenuari et tabescere. Musculi artuum eo usque tabuisse videntur, ut vix aut ne vix quidem clare inter se discernendi sint; et e rubris pallent. Membranis *serosis* latex pene deest. Ossa fragilia et sicca ex facili scinduntur, haud secus ac senio confectis. Ventriculus et intestinum praeter naturam coarctata inveniuntur; hoc sane vix calamum linea media exsuperat: membranae, scilicet, crassiores sunt, canalis angustior. Ventriculus partibus vicinis saepe praeter solitum adhaeret; quod ad alia, facies ejus exterior integra est. *Pylorus* eo angustatur, ut stylum tenuem vix accipere possit. Facies ventriculi interior hic illic naturam laevem et rubram ostendit. Haec videtur esse membrana mucosa nova; quae pristinae antea divulsae vice functa fuerat, homine jam spirante.

CCLIV. DE RATIONE, QUA ACIDUM NITRICUM NECAT.

In animo habitis, quae jam de *acido sulphurico*, *acido*que *arsenoso* disserui, ratio, qua *acidum nitricum* ingestum venenat, in aprico erit. Si tantum ejus, saturrimique, sumitur, quantum hominem, paucis horis exactis, occidere valeat; statuere licet mortem fabricae meatus alimenti hoc acerrimo *acido* cito dissolutae, non *acido* absorpto et sanguine cir-

cumfluente misto deberi: quinetiam, cerebrum et cor, simul ventriculo eroso, laedi, propter mirum istum consensum, quo, nervis ministrantibus, haec viscera et ventriculus invicem consentiunt. Si autem modus exiguus *acidi nitrici*, ejusdemque paulo dilutioris, fatum serotinum intulerit; aut citra mortem, valetudinem per vitam reliquam infirmaverit, aut corruperit: omnia mala antea descripta (veneno ita sumpto) plane ex *acido* absorpto et in humores circumeuntes delato nascuntur.

CCLV. DE RATIONE ACIDUM NITRICUM DETEGENDI.

a. Si homo multum *acidi nitrici* meraci sumpserit, difficile non erit idem dignoscere. Sordes enim ventriculo defuncti deducta cupro adjecta facit ut gas *oxydum nitricum* evolvatur: quod protinus, accepto *oxygenio*, aurescit; nimirum, in *acidum nitrosum* convertitur. Superest *nitras* cupri, colore coeruleo cognitum.

b. Si sordes antea dicta *potassa* miscetur, illico gignitur exinde sal iste notissimus *nitras potassae* dictus: ex quo, sulphure et carbone ligneo inter se mistis conficitur pulvis iste exitiosus, vernacule "*gunpowder*" nominatus. Denique, natura viscida et flava, in quam *acidi nitrici* est membranas mucosas animalium omnium convertere, atque odor sui similis, quem halat, haud parum operae ad

hoc venenum patefaciendum et dignoscendum conferunt.

CCLVI. DE REMEDIIS UTENDIS.

Vix aegrum ad sanitatem revocare licet, ventriculum vacuefaciendo, instrumenti ope, cui nomen "*stomach-pump*:" quam celerrime enim, fulminis instar, hoc *acidum* membranas corporis interiores, quibus admovetur, diruit. Parum sane medicinae auxiliis fidendum. Quum vero medici est nunquam, vita superstite, desperare; oportebit quam primum aquam *subcarbonate potassae* saturam ministrare. Huc rite accedunt liquores mulcendo apti; non olea fixa; sed aqua qua solvitur *gummi Acaciae niloticae*, sive *Astragali tragacanthi*. Si notae inflammationis perquam saeviant, sanguinem, icta vena, mittere oportebit; aliaque concedere remedia, quae inflammationi sedandae vel arcendae accommodentur.

CCLVII. DE ACIDO MURIATICO.

Quidam hodierni ACIDUM MURIATICUM, HYDROCHLORICUM vocant. Haud sane permagni refert, quo nomine aliquid designetur; dummodo nomen errore vacet. Istud vero nomen ACIDUM HYDROCHLORICUM hac de causa mihi ineptum videtur; quod inter *chemicos* jam diu convenit nominibus,

quae in "*icum*" desinunt, uti, ad *acida oxygenio* saturrima indicanda.

ACIDUM MURIATICUM meracissimum *gas* est aquae avidissimum; eo ut non nisi argenti vivi ope idem colligere liceat. Hoc *acidum* liquidum, aliorum instar, tanto gravius est, quanto plus ejusdem aërii aqua absorpserit. Si ita praeparatur, ut pondus *specificum* eo numero 1.16 insigniatur; centenae ejus partes, experimento instituto, partes 32.32 *acidi* ipsius habere compertae sunt. Quod ad ejus constitutionem *chemicam* attinet, ex *chlorino* et *hydrogenio* componitur; quorum molibus paribus invicem mistis, statim conficitur. Hoc *acidum* odore peracri nares irritat: si aërium cum aëre circumfluo miscetur, illico in fumum paulo densiorem et subalbidum converti videtur; eo quod aquam nunquam non aëre circumfluo solutam, et ex facili direptam, celerrime sibi attrahit. Si *gas acidum muriaticum* et *ammonia* coëunt, calor ingens statim accenditur; et ex iis inter se junctis fit natura concreta, albida; scilicet, *murias ammoniae*. *Ammonia* igitur *gas* propositum luculenter detegit. Denique, si vel pauxillum hujus *acidi* multa aqua dissolvitur, quam facillime *nitrate* argenti liquido infuso deprehenditur; nubecula enim candida gignitur, quae luci objecta nigrescit; et exinde *murias* potiusve CHLORIDES argenti esse comprobatur.

CCLVIII. DE SIGNIS ACIDO MURIATICO INGESTO EXORTIS, &c.

Omnium pene *acidorum* ingestorum est, membranas interiores exedere, irritare atque inflammare: quo fit ut omnia pene eadem mala progignant; nisi quod cujusque pauca sunt propria. Hoc ACIDUM, uti ab ORFILA accepimus, a caeteris distat, quod, simul atque ingeritur, copia ingens fumi albidi atque densi ab ore atque naribus evolvitur; qui odore pungentissimo nares exasperat.

Quod ad signa cadavere secto reperta, parum ab iis discrepant, quae alia *acida* moliuntur: haud equidem cutem et membranas mucosas croceo colore inficit: quo tamen signo excepto, cadaver easdem fere notas exhibet, quas *acidum nitricum*.

De nocendi ratione fusius agere vix opus est: siquidem *acidum muriaticum*, haud aliter atque caetera, venenare videtur, praesertim membranis interioribus, quibus admoveatur, irritandis, rodendis, et exinde inflammandis.

CCLIX. DE ACIDO MURIATICO DETEGENDO.

Jam memini ACIDUM MURIATICUM fumo candido, quem halat aëri objectum, cognosci. Quod si multa aqua mistum extenuatur, aliis innitendum indicibus.

Si succum vitiosum ventriculo post mortem di-

reptum hoc *acido* inquinari suspicamur; eundem colatum prius *potassa*, dein *nitrate* argenti aqua dissoluto, miscere opus erit: *murias* argenti illico descendit, dummodo adsit ACIDUM MURIATICUM.

Muriati argenti jam dicto et ita confecto, hae dotes contingunt:

a. Acidum sulphuricum meracum ei adjectum statim efficit ut fumus densus, albidus, naresque odore pungentissimo stimulaturus, in sublime feratur; qui ex *gase acido muriatico* constat.

b. Si *acidum sulphuricum* non meracum, at contra ingenti aquae copia extenuatum *muriatii* argenti antea dicto affunditur; necnon *manganesii peroxydum* simul additur: gas *chlorinum*, non *acidum muriaticum* evolvitur: *hydrogenium* enim huc attinens, et *oxygenium* a *peroxydo* jam relato deductum, coëuntia in aquam convertuntur.

CCLX. DE REMEDIIS UTENDIS.

Vide CCLVI necnon CCL: curandi enim ratio pene eadem esse videtur, sive aliquis *acidum sulphuricum* sive *nitricum*, sive *muriaticum* ingesserit.

CCLXI. DE ACIDO OXALICO.

Hoc *acidum* olim apud *chemicos acidum sacchari* vocari solebat; eo quod diu idem praeparare consueverant, ex *acido nitrico* atque *saccharo* inter se mistis et calefactis. Quum vero tandem didice-

rant hoc *acidum* nequaquam *saccharo* inesse; fieri-que posse acido *nitrico* multis aliis rebus adjecto: quinetiam, omnia *acida*, quibus succi plantarum aut fructuum imbuuntur, ex iisdem principiis constare; nempe, *oxygenio*, *hydrogenio* et *carbonio*; necnon *acidum* propositum succo *Oxalidis acetosellae* atque *Rumicis acetosellae* subesse: isto nomine abjecto, *Oxalicum* vocare coeperunt. E succis jam memoratis *acidum oxalicum* deduci potest, aqua *acetate plumbi* aut *nitrate baritae* imbuta affundenda: statim *oxalas* plumbi aut *baritae* dejicitur, *acido sulphurico* facile resolvendum.

Acidum oxalicum chrystallos exhibet admodum exiles, pellucidas; ex quibus quaeque figura *prisma* quatuor angulis instructum repraesentat: odore admodum acido fauces exasperat: duae librae aquae frigidae et una libra aquae bullientis libram *acidi* ipsius solvendo sunt habiles. Siquidem *acidum oxalicum chrystallorum* figura, aliisque dotibus oculo evidentibus, *sulphas magnesiae* haud parum simulat; hinc haud pauci, annis nuperis, illo pro hoc ingesto perierunt. Sapore equidem haec duo quam maxime inter se discrepant: lugendum est tamen multos, similitudine jam dicta deceptos, illico venenum ingurgitare; nec prius se errasse sentire, quam id totum ventriculum petierit. Quidam hujus rei memores *chrystallos*, id est *acidum oxalicum* arte colorari jubent, quo minus pro *sulphate magnesiae* habeatur.

Quae de hoc veneno conscripturus sum, potissi-

mum ex libello nuper a viris eximiis CHRISTISONO et COINDETO edito deducuntur: quorum experimenta, me judice, luce nova *acidi oxalici* actionem illustrarunt. (Vide "An Experimental Inquiry on Poisoning by Oxalic Acid," by R. CHRISTISON, M. D.)

CCLXII. DE SIGNIS ACIDO OXALICO INGESTO EXORTIS, ATQUE POST MORTEM REPERTIS.

Quum experimentis institutis apparet *acidum oxalicum* non semper eadem signa progignere: sed ejus effectus aliquantum differre, prout ingens copia ejus meraci, aut modus exiguus ejusdem dilutioris adhibeatur: in animo est, inquirere, imprimis, quae mala ex dimidia parte unciae, vel uncia una, ampliusve, parva copia aquae dissoluta, et ingesta, enascantur: deinde, quae signa ex eodem veneno parco et dilutiori admoto oriantur.

A. Si dimidia pars (vide p. 4. operis jam citati) unciae *acidi oxalici* una uncia aquae dissoluta in ventriculum canis, per foramen arte gula incisa factum, injicitur; et ope ligamenti retinetur: trigesima fere parte horae exacta, animal gravissimis molimi-nibus editis, vomere nititur: respiratio fit citior et plenior: minutis sedecim cum semisse elapsis, respiratio fit brevis, et subinde per momenta pauca temporis interclusa. Eodem tempore, caput demittitur; oculi fiunt hebetes; nec vero sensus deficere viden-

tur. Demum canis in unum latus incidit, musculis omnibus prius rigentibus, paulo postea laxatis; et tertia circiter horae parte elapsa moritur, musculis inter moriendum convulsis. Mortis articulo jam praesente, id est, convulsione jam relata nondum finita, cor micare non sentitur. Cadavere porro statim post ultimam convulsionem quiescentem patefacto, cor non stimulo admoto contrahitur: cor dextrum sanguine subatro superfluit; laevo autem subest paululum sanguinis coccinei.

Ventriculo mortui canis introspecto, parte horae xv^ma^ post mortem exacta, haecce conspiciuntur. Membrana extima praeter solitum vasis distentis rubet. Sordes olida, crassa et subatra ventriculo inesse videtur. Membrana intima hic illic erosa et rubicunda apparet; praesertim circa *cardiam*. Partes ejusdem superstites fragiles sunt, fusco-flavae, et minus arcte, quam fert natura, cum membrana musculosa committuntur; haud aegre divellendae. Pars ventriculi postica aequo rubrior est, venis ejus tumefactis, et cruore ibi inter membranam mucosam et musculosam fuso. Pars membranae gulae intimae, quae a ligamento jam dicto ad *cardiam* pertinet, rugosa est caesiique coloris; at simul valida. Caetera viscerum integra esse reperiuntur.

Quotiescunque *acidum oxalicum* meracum largius concedatur, signa jam memorata nunquam non supervenire consuerunt; tantoque graviora, quanto amplius veneni ingeratur.

B. Si copia exigua *acidi oxalici* multa aqua dissoluti in ventriculum canis injicitur; et gula liga-

tur, quo minus venenum evomatur; mala omnia jam proposita gignuntur, at serius et leniora; nec mors sequitur. Quod si idem veneni modus membranae *serosae* admovetur, nimirum, in cavum pectoris infunditur: signa hujus veneni propria acerbissima plectunt, in mortem citam abitura. Jam notavi, *acidum oxalicum* dilutius et parcius admotum notas quasdam sui similes inferre. Hae vero sunt (modo canis acceperit) crura postica rigida, caput demissum, vultus oculique hebetes, motus arteriarum citiores et exiles, respiratio justo incitatior et languida. Quinetiam crura postica magis magisque rigescere pergunt, vi sentiendi simul destituta: nec raro eorum rigor resolutione, id est, *paralysi*, mutatur: spirandi difficultas ingravescit: animalque admodum cruciatur, plerisque musculorum rigentibus; scilicet, *spasmo tonico* affectis. His malis accedunt stupor, atque musculorum rigores, paulatim resolutione finiendi: pauloque ante mortem, cor vix micare sentitur; spiritusque sensim tardescit, et languescit.

Cuicunque membranae hoc venenum parcum et dilutum admoveatur, sive *serosae*, sive *mucosae*; mala pene eadem accidere solent; nempe, jam relata: nisi quod, quanto major alicui membranae absorbendi facultas contingat, tanto ocyora tantoque intentiora sunt haec mala.

Si nervis vagis et *sympatheticis* in cervice sectis, eo ut animal nec evomat, nec molimina huc idonea edat, copia ingens *acidi oxalici* meraci in ventriculum canis infunditur: summa inquietudo nascitur;

spiritus trahitur et emittitur crebro, imparibusque intervallis: musculi pectoris tremore exagitantur: sensus aliquamdiu integri perstare videntur: animal tamen, tribus horis exactis, absumitur.

Hinc constat nervos, qui ventriculum cum cerebro committunt, sectos, haud parum hujus veneni meraci et largioris actionem tardare.

Si vero duo cuniculi fortes seliguntur, in quorum unius ventriculum, nervis vagis et *sympatheticis* in cervice prius sectis, drachma *acidi oxalici* drachmis XI aquae soluta injicitur; in alterius autem ventriculum copia eadem veneni eodem modo soluti, nervis non sectis, injicitur: hic cuniculus octo minutis cum semisse exactis crebro spirare et caput retrahere observatur: sexta parte horae elapsa, truncus *opisthotono* riget; tredecimque minutis exactis, animal moritur. Ille cuniculus, cui nervi secti fuerant, eadem patitur mala, eodem fere spatio temporis elapso: et extremum ducit spiritum, minutis quatuordecim exactis.

Quum igitur eventus pene iidem utrique horum animalium contingunt; judicare cogimur, hoc venenum dilutius non cerebrum, cor aliasque partes interiores laedere per nervorum ministerium, qui ventriculum cerebro adnectunt. (Vide Opus ante citatum.)

CCLXIII. DE NOCENDI RATIONE EXPERIMENTIS JAM DICTIS DEDUCENDA.

In animo perpensis experimentis jam relatis, haecce judicare oportet,

I. *Acidum oxalicum* meracum in ventriculum largius acceptum membranam mucosam irritare et exedere; mortem vero partim ex aliis visceribus, nempe, cerebro et corde per consensum affectis, exoriri; facultatem exedendi qua praeditum est hoc venenum meracum, non unice occidere hinc patere, quod nequaquam eandem vim rodendi exhibet, ventriculo animalis vivi, quam mortui admotum: viri enim eximii jam dicti edocuerunt, ventriculum animalis defuncti quam citissime ob eo solvi:

II. *Acidum oxalicum* dilutius et parcius ingestum aut membranae *serosae* inditum, venenare et occidere, neque ventriculo exedendo et irritando, nec cerebrum atque cor per nervos afficiendo; sed quod absorptum cum sanguine circumeunte miscetur; et exinde cor, cerebrum et alias partes interiores vitae necessarias laedit: quinetiam, caeteris paribus, hoc venenum dilutius exitiosius esse quam meracum:

III. *Acidum oxalicum* absorptum et sanguine mistum, genus nervosum sedandi potentissimum esse: cerebrumque et *medullam spinalem* initio, deinde pulmonem et cor, ejus facultate sedatrici affici: mortemque ipsam plerumque fibris motricibus cordis *paralysi* resolutis deberi.

CCLXIV. DE ACIDO OXALICO DETEGENDO.

a. Si liquori ventriculo defuncti subducto colato succus plantae coeruleae adjectus protinus rubet, jure quoddam *acidorum* subesse suspicamur.

b. Si eidem affunditur *murias* calcis; statim praeceps cadit *oxalas* calcis, dummodo *acidum oxalicum* adsit. Quum vero *sulphas* calcis eundem sibi colorem praefert quem *oxalas* calcis, paululum *acidi nitrici* adjectum medicum certiorem reddet; *oxalas* enim calcis hoc *acidum* solvit, *sulphas* parum mutat. Quum porro *carbonas, phosphas, tartras* atque *citras* calcis haud secus atque *oxalas*, candida sunt, neque aqua dissolvenda; quo minus decipiamur, pauxillum *acidi muriatici* rei praecipitatae adjicere opus erit: quod statim *carbonas, phosphas* atque *tartras* calcis dissolvit: *oxalas* autem non afficit, nisi tardissime, aegerrime, et copia permagna adhibita.

c. Si liquori e ventriculo deducto colato *sulphas* cupri dissolutum infunditur, *oxalas* cupri, coloris inter album et coeruleum medii, dejicitur. Quoniam ventriculus interdum *phosphata* et *carbonata* continet, manifestum est *sulphas* cupri efficere posse ut *carbonas* aut *phosphas* cupri demittatur. Haec vero ab *oxalate* cupri haud aegre discernuntur: *acidum* enim *muriaticum carbonas* et *phosphas* cupri dissolvit; *oxalas* autem, nequaquam.

d. Si liquori jam memorato additur *nitras* ar-

genti, *oxalas* argenti candidum atque gravissimum, praecipitatur. Si *oxalas* argenti siccum igni subjicitur; prius fuscum induit colorem; dein inflammatur, haud sine strepitu, atque in fumum candidum vertitur. Hoc experimentum caeteris praestare videtur; si enim quadrans grani *acidi oxalici* quatuor millibus aquae granorum solvitur; *nitras* argenti adjectum clare id subesse insignit, tanto *oxalatis* argenti demisso, quantum, igne admoto, inflammetur, atque sonet.

CCLXV. DE REMEDIIS UTENDIS.

Si quis *chemiae* peritus, at medendi artis parum gnarus, hoc venenum remediis obtundere velit; probabile est ei in mentem venturum esse aquam *potassa, soda* vel *ammonia* imbutam praecipere; siquidem horum omnium est *acidum oxalicum* saturare: non autem oblivisci oportet, *oxalas potassae, sodae* atque *ammoniae,* sales haud minus exitiosos esse, quam *acidum oxalicum* ipsum multa aqua dilutum; necnon ex facili absorberi, eo quod cito a succis ventriculi dissolvuntur. (Vide "Exp. Inquiry," p. 28.) Aquam calce imbutam, vel *magnesiam* medici sola esse remedia facultate hujus veneni actioni obstandi, usu didicerunt: *oxalas* enim calcis aqua, ideoque ventriculi succus, dissolvere nequit: *oxalas*que *magnesiae* vix et parce ab iisdem solvitur. Satis denique convenit, res fere omnes concretas, aut quae vix aut ne vix quidem laticibus aquosis solvuntur, ventriculo inclusas, vel tardissi-

me, vel non omnino absorberi, ideoque parum laedere posse.

CCLXVI. DE AQUAE BULLIENTIS ACTIONE VENENIFERA.

Infantes atque pueri, parentibus aut magistris non praesentibus, interdum, aqua bulliente epota, fortuito sibi necem adsciverunt. Medici pene omnes sibi persuadere soliti sunt, mortem inde ortam inflammationi ventriculi quaesitissimae accensae tribuendam esse. Quos tamen opinio inanis fefellisse videtur. Vir enim rei medicae scientissimus, MARSHALL HALL (Vide Vol. xii. of Medico-Chirurg. Transactions) monstrasse mihi videtur, aquam bullientem voratam strangulare: nimirum, fibras *pharyngis* motrices ab ea exasperatas *spasmo* coarctari; et exinde aquam ferventem retentam atque descendendi impotentem, efficere ut *epiglottis*, membrana *glottidis* intima, partesque his proximae, irritentur, inflammentur, demumque tumefactae fistulas spiritales penitus occludant. Aquam ferventem ingestam ita occidere docent notae *asphyxiae* fatum antecedere solitae, summa pars animae canalis post mortem clausa; necnon vita semel, aspera arteria patefacienda, conservata. De hoc veneno amplius disserere non opus esse videtur.

CCLXVII. QUAEDAM DE PLUMBO IGNE LIQUEFACTO.

Unum exemplum literis mandatur cujusdam plumbo liquefacto in os accepto, et inde in ventriculum delato, occisi. Pharo EDDYSTONIENSI incendio diruta, tectoque plumbeo liquefacto, custos infelix, oculis sursum versis, in os flumen metallinum accepit; et gravi inflammatione tortus succubuit. Medicina nihil valere posse videtur.

CCLXVIII. DE ALCALIBUS.

ALCALIA sunt praecipue tria, POTASSA, SODA atque AMMONIA; praeter *lithinam*, et quam plurimas res *alcaloideas* nuper variis plantis inesse compertas. De tribus prius dictis unice disputabo.

Horum commune est os sapore austero et sui simili offendere, succos plantarum coeruleos, virides, flavosque rubro-fuscos, reddere. Aqua ex facili solvuntur: ex iis et quovis oleorum fixorum inter se mistis, fiunt SAPONES. Ex iis *acidis*que coëuntibus conficiuntur Sales Medii; qui scilicet succos coeruleos nec rubefaciunt, nec virides reddunt. Facultate pollent *fibrinae*, ideoque carnis, solvendae; et ingesta venena acerrima esse possunt.

CCLXIX. DE POTASSA SALIBUSQUE EJUS VENENANDI POTENTIBUS.

Quum POTASSA meraca et concreta raro usurpatur, pauca exempla potestatis ejus exitiosae literis mandantur.

LIQUOR POTASSAE, id est, aqua POTASSA satura, multo frequentius pro veneno ingeritur; siquidem artifices eadem in SAPONE fabricando utuntur. Praeparari solet, calce aquae *subcarbonate potassae* imbutae adjicienda. Hic liquor pellucidus est, densus; digitisque admotus, eundem pene sensum, quem SAPO, praebet.

SUB-CARBONAS POTASSAE duplici ratione fieri potest: aut cremando *supertartras potassae*: aut plantis ipsis comburendis, et deinde cinere aqua solvendo. Hoc modo praeparatum aliis inquinatur salibus, ideoque *Subcarbonas potassae impurum* nominatur. Siquidem *acidi carbonici* est vires proprias *alcalium* non delere, at solummodo paululum obtundere, *subcarbonas potassae* haud exigua venenandi potestate praeditum est: minus equidem exitiabile est, quam POTASSA ipsa.

CCLXX. DE SIGNIS POTASSA EJUSVE SALIBUS INGESTIS ORIUNDIS.

Siquis POTASSAM, aut SUBCARBONAS ejusdem voraverit, extemplo os sapore austero et ingrato, atque ardoris sensu, offenditur: dolor gulae et ventri-

culi cruciat: sordes crebro evomitur, cui succus plantae coeruleae adjectus viridescit. Si aeger SUBCARBONAS POTASSAE ingurgitaverit, sordes vomitu excreta quovis *acidorum* mista effervescit; nec raro cruenta est. Dolor ventris admodum saevit: alvi dejectiones sunt frequentes et liquidae: tormina crudeliter vexant. Interdum homo delirat: ne multa, signa omnia venenum vi perinsigni rodendi donatum subesse testantur: nec vero tam sui similia sunt, ut ipsa per se POTASSAM sumptam fuisse, medicum edoceant.

CCLXXI. DE SIGNIS, CADAVERE SECTO REPERTIS.

Quem POTASSA morte multaverit, ei, cadavere patefacto, ventriculus foramen unum vel plura exhibere consuevit, ob facultatem exedendi maximam, qua praedita est. Quod ad alia, POTASSA eadem fere vitia ciet, quae e caeteris venenorum rodendo habilium proficiscuntur.

De laedendi ratione proprie scribere vix opus est: manifestum est hoc venenum fatum inferre, membranis ventriculi irritandis atque exedendis: aliasque partes ad vitam necessarias, praesertim cerebrum atque cor, vitiari, et officiis exequendis ineptas fieri, ob consensum illum, quo, nervorum ministerio, ventriculus cum iis committitur.

CCLXXII. DE POTASSA, EJUSQUE SALIBUS DETEGENDIS.

Deprehendere POTASSAM difficile non erit: imprimis enim dotes ALCALIUM omnium communes satis unum ex iis adesse indicabunt: scilicet, liquor ventriculo, homine jam defuncto, direptus facit ut succus coeruleus ullius herbae viridescat; olea in SAPONES, *acida*que in sales medios, convertit.

Quo autem cognoscamus istas dotes nec *ammoniae*, nec *sodae* neque terris *alcalinis* praesentibus deberi; his innitendum erit experimentis.

a. Si liquori antea dicto *murias deutoxydi platinae* accedit; sequitur ut natura flava dejiciatur, (dummodo adsit POTASSA), ex *deutoxydo platinae*, *potassa*, et *acido muriatico* composita; nempe, *submurias deutoxydi platinae* et *potassae*. Quod si liquori suspecto *murias deutoxydi platinae* adjectum efficit ut nihil praeceps decidat; *potassam* deesse manifestum est: imo vero *sodam*, aut quandam terrarum liquori subesse constat, si dotes communes antea relatae ei contingant.

b. Si *acidi tartarici* copia ingens liquori suspecto indita, efficit ut pulvis candidus et gravis praecipitetur; si porro hic, multa aqua fervente affusa, solvitur, et liquor inde confectus succos herbarum coeruleos rubefacit; POTASSA clare insignitur; pulvis enim, de quo memini, est *supertartras potassae*. Chemicis notissimum est, *sodam* et *acidum*

tartaricum inter se sociata salem aqua facillime dissolvendum constituere.

c. Quo minus POTASSA pro calce aut *barita* habeatur; liquorem suspectum *acido carbonico* inficere oportebit: opacus enim atque nubilus fit, si alterutra harum terrarum imbuitur, siquidem aqua *carbonas* calcis aut *baritae* liquandi est impotens. Contra, liquor pellucere haud desinit, si POTASSAM habet; cujus scilicet CARBONAS aut SUBCARBONAS ab aqua facillime solvitur.

CCLXXIII. DE REMEDIIS UTENDIS.

Chemiae aliquis vel leviter doctus non intelligere nequit hoc venenum optime *acidis* concessis debellari; ea vera *acida* caeteris praeponenda esse videntur, quae cum *potassa* consociata sales conficiunt mites, blandos, et innocuos. ORFILA, auctor summa fide dignandus, *acidum aceticum* quam quodvis aliud concedere mavult. *Supertartras potassae* aqua multa dissolutum nobis optime convenire videtur: si enim ingeritur, in *tartras potassae* intus convertitur, salem succis interioribus ex facili liquandum, tutissimum, alvoque leniter expurgandae aptum. Potus mulcendo accommodati his rite accedunt; veluti *gummi Acaciae niloticae* aqua solutum, et similia. Si notae inflammationis saeviant, venas vacuefacere aliaque praecipere medicinae auxilia decebit, quae eidem sedandae accommodentur.

CCLXXIV. QUAEDAM DE SODA.

De SODA proprie scribere vix opus esse videtur: siquidem parum aut nihil a POTASSA discrepat, quod ad signa ea ingesta prognata; vitia cadavere introspecto reperta; rationem, qua laedit aut enecat; atque remediorum genera, quae opitulari possint. Ex iis, quae supra de POTASSA, homine defuncto, deprehendenda scripsi, satis patet, quommodo *soda* ab ea sit dignoscenda. Notatu sane haud indignum est, terras pene omnes detectu et cognitu faciliores esse quam *alcalia;* eo quod pleraque *acidorum* illis adjuncta sales aegre vel non omnino aqua dissolvendos constituunt; cum his contra sociata in sales convertuntur, aqua facillime liquatos, ideoque non oculis patefactos. SODA quovis liquore dissoluta, *acido muriatico* affuso, conspicua fiet; nihil sane descendit sua sponte; quod si aqua, calore admoto, in vaporem versa abstrahitur, superest *murias sodae,* sal omnibus notissimus; nimirum, chrystallis cubicis, atque sapore proprio, dijudicandus.

CCLXXV. DE AMMONIA EJUSQUE SUBCARBONATE.

AMMONIA mera *gas* est sui simile; ideoque venenando parum est apta. Aqua autem facillime eam solvit; atque ea satura (apud PHARMACOPOEIAS *Liquor ammoniae*) pro medicamento aut veneno potenti adhiberi potest. Aqua AMMONIA imbuta,

decolor est, saporis perquam acris; et calefacta in aquam meram, AMMONIA in sublime lata, redigitur. AMMONIA ipsa, praeparari solet, *muriate ammoniae* et calce inter se mistis; *gasi*que per argentum vivum trajecto; aqua enim idem quam citissime attrahit atque solvit. AMMONIA et *gasi acido muriatico* invicem mistis, fit albidum concretum, scilicet, *murias ammoniae*: unde horum gasium alterutrum facile cognosci potest. AMMONIA ex *hydrogenio* et *nitrogenio* componitur: hujus autem rei documenta inquirere, alienum esse judico.

SUBCARBONAS AMMONIAE sal est candidus et concretus, eodem odore nares irritaturus, quo AMMONIA ipsa; eodemque pene sapore, quo *ammonia* aqua liquata, os offensurus: praeparatur, ex *muriate ammoniae* et *carbonate* calcis inter se mistis et calefactis. Quacunque venenandi facultate *ammonia* mera aqua dissoluta donetur, *subcarbonas* eandem, aliquanto mitiorem profecto, habet.

CCLXXVI. DE SIGNIS AMMONIA VEL EJUS SUBCARBONATE INGESTO NATIS, &c.

Si quis ingentem copiam aquae AMMONIA saturae vorat, aut ejusdem SUBCARBONATIS; extemplo fauces, labia et lingua exardent, rubent atque dolent: nec desunt signa ventriculi et intestini vehemente inflammatione plexorum (de quibus antea disputavi, vide LXXIX, XCII, CCXI). AMMONIAE et ejus SUBCARBONATIS, prae caeteris *alcalium*,

proprium esse videtur, cursum sanguinis ab intestino, id est, dejectiones cruentas, movere. Siquidem porro genus nervosum admodum perturbat, etsi vis rodendi nequaquam insignis AMMONIAE contingit; eam absorberi, et inde plura malorum, quae inferre solet, proficisci, statuere oportet.

CCLXXVII. DE AMMONIA DETEGENDA ET DEBELLANDA.

a. Si liquor AMMONIA imbutus leni calori subjicitur, et *gas acidum muriaticum* vapori evoluto admovetur, fumus candidus gignitur; nimirum, *ammoniae murias.*

b. Si liquor AMMONIA satur *sulphate* cupri aqua dissoluto miscetur, statim purpurascit, eo quod *ammoniaretum* cupri fit.

c. Si *acidum arsenosum* aqua solutum et *nitras* argenti dissolutum inter se miscentur, mutatio nulla oculis patet; illud enim per se *oxydum* argenti *nitrati* diripere non potest; quod si hic liquor in tabulam vitream infunditur, et deinde *ammoniae* aëriae objicitur; extemplo nubes aurei coloris atque pulcherrima tabulae supereminere conspicitur; quae est *arsenis* argenti.

Quod ad remedia, *acidum aceticum* caeteris praestare nobis videtur.

CCLXXVIII. DE CALCE, SIGNISQUE EA INGESTA ORTIS.

Quanto aliqua terrarum facilius ab aqua solvatur, tanto magis dotibus *alcalium* propriis instruitur, tantoque acrior est, et venenandi potentior. Terrae hujusmodi sunt, CALX, BARITA, et STRONTITA; quae ideo terrae *alcalinae* saepe vocantur. Huc quoque attinet MAGNESIA: quae tamen exitiosa non est.

CALX viva praeparatur ex *carbonate* calcis cremato: sapore acri et pungente, salibus sui similibus, atque calore ingenti per aquam ei affusam genito, dignoscitur; qui sane notatu dignissimus est; CALX enim, aqua adjecta, eo usque incalescit, ut pars aquae in vaporem vertatur; calx ipsa simul in pulverem subtilissimum redigitur; recteque nunc HYDRAS CALCIS vocatur; siquidem calx macerata ex aqua densata et calce *chemico* nexu inter se consociatis componitur.

Signa hoc veneno orta haud multum ab iis, quae *potassa* progignit, discrepant, mitiora sane. Si quis copiam ingentem CALCIS ingesserit, nausea, vomitus, dolor ventriculi, tormina, dejectiones crebrae et liquidae, interdum cruentae, et aliae notae inflammationis, protinus accenduntur.

CCLXXIX. DE MALIS, CADAVERE INTROSPECTO REPERTIS, NOCENDIQUE RATIONE.

Cadavere patefacto post mortem CALCE illatam, membrana ventriculi mucosa praeter naturam rubicunda esse conspicitur, subinde erosa: imo vero, quascunque partes alimenti meatus hoc venenum attigerit, iisdem membrana intima justo rubrior est. CALX laedit, et occidit eadem ratione, qua POTASSA.

CCLXXX. DE CALCE DETEGENDA.

a. Si in liquorem, cui CALCEM inesse suspicamur, infunditur vel aqua *acido carbonico* saturior, vel *subcarbonate* cujusvis *alcalium* imbuta; *carbonas calcis* album et concretum protinus descendit, dummodo CALX adsit.

b. Si liquori jam relato affunditur *acidum oxalicum, oxalas*ve *ammoniae* aqua dissolutum; sequitur ut extemplo *oxalas calcis* cadat praeceps; sal aegerrime resolvendus, ob causas *chemiae* peritis notissimas.

c. *Acidum sulphuricum* aquae CALCE imbutae inditum nihil demittit, neque ullam oculis mutationem patefacit: falluntur igitur, qui hoc *acidum* CALCEM patefacere posse opinantur: id exequi non potest, eo quod aqua pari fere facultate CALCEM, atque *sulphas calcis* solvendi praedita est. *Aci-*

dum sulphuricum tamen perutile est; dummodo venenum detegendum CALX sit, an BARITA, dubitare liceat. BARITA enim praesente, *acidum sulphuricum* efficit ut concretum candidum, id est, *sulphas baritae* decidat: CALCE autem praesente, nihil praecipitari potest.

CCLXXXI. DE REMEDIIS UTENDIS.

Acidum carbonicum vel *oxalicum* CALCEM obtundere valet; siquidem *carbonas* atque *oxalas* calcis dissolvi nequeunt; ideoque nocendi impotentia sunt. CALCE igitur ingurgitata, quam primum aquam *acido carbonico* saturam, vel *acidum oxalicum* liquidum, dari oportet. Malo equidem *acidum carbonicum*, quam *oxalicum* concedere; si enim illius plus ministratur, quam quod cum CALCE sociari possit, nihil nocebit; contra, *acidum oxalicum* meracum veneno est luctuosissimo: ideoque parce ingeri debet.

CCLXXXII. DE BARITA, EJUSQUE SALIBUS VENENANDI POTENTIBUS.

BARITA inter terras *alcalinas* recensenda est; quippe quae ex facili aqua solvitur, sapore acri os exasperat, succosque herbarum e coeruleis virides, e flavis autem rubro-fuscos, reddit; aliisque dotibus pollet *alcalium* propriis. Aquae unciae viginti, cujus temperies gradu LX^MO instrumenti Fahrenheitani insignitur, uni unciae BARITAE liquandae sunt

habiles: quod si aqua bulliat, duae ejus unciae BARITAE unam solvere possunt.

MURIAS BARITAE, haud secus ac BARITA ipsa, sal est admodum perniciosus. Quam facillime ab aqua solvitur: sensum saporis perquam acris ori praebet. Nullubi terrarum, quantum scio, invenitur, sive concretum, sive aquis naturalibus dissolutum. Praeparari consuevit, ex *carbonate baritae acido muriatico* adjecto: vel ex *sulphate baritae;* quod prius in *sulphuretum*, ope carbonis ligni et caloris, vertendum est; dein *acido muriatico* resolvendum.

CCLXXXIII. DE SIGNIS BARITA EJUSVE MURIATE EXORTIS, VITIIS HOMINE MORTUO REPERTIS, ATQUE VENENANDI RATIONE.

Illud observatu dignissimum judico, aquam BARITA saturam, MURIAS BARITAE, saliumque reliquos, qui ex hac terra et *acidis* constant, aquae liquandos, pariter venenare posse; sive in ventriculum sumantur; sive in venas arte injiciantur; sive membranae *serosae* admoveantur; sive denique parti exteriori *cuticula* orbatae imponatur. Quoniam haec venena aliquanto rarius a medicis praecipiuntur, nec ulli utilitati domesticae inserviunt; vix aliqua exempla literis mandantur hominum ab iis occisorum. Viri autem praeclari, ORFILA atque BRODIUS experimentis institutis monstrarunt, BARITAM ejusque MURIAS eadem mala progignere, paulo mitiora equi-

dem, quae *acidum arsenosum;* efficere ut eaedem fere notae, cadavere introspecto, prodeant; eodemque modo nocere. Satis jam memorata edocent, haec venena prius absorberi, humoribusque circumfluentibus commisceri, quam notas exitiosas inferant. BRODIUS, experimentis fretus, cerebrum et cor, prae reliquis viscerum, a BARITA ejusque salibus laedi; mortemque iisdem per sanguinem inquinatum affectis deberi, existimat. Neque vero negat hanc terram ejusque *murias*, largius indita, et pauxillo aquae mixta, membranam MUCOSAM irritare et diruere; atque exinde notas luctuosissimas moliri posse.

CCLXXXIV. DE BARITA EJUSDEMQUE MURIATE DETEGENDIS.

a. Si *acidum sulphuricum*, aut quodvis *sulphatum* aqua solvendorum liquori, cui *barita* aut *murias baritae* subesse existimatur, adjicitur; *sulphas baritae* albidum et concretum statim descendit: (dummodo alterutrum eorum adsit). Scire licet *sulphas baritae* ab *acido nitrico* addito dissolvi; eo quod exinde in *nitras baritae*, et *supersulphas baritae* vertitur; quorum utrumque aqua solvendo apta est.

b. Si aqua *acido carbonico* imbuta, aut *subcarbonas* cujusvis *alcalium* liquore suspecto miscetur, *carbonas baritae* albidum praeceps decidit dummodo liquor *baritam* habeat.

CCLXXXV. DE REMEDIIS UTENDIS.

Quam celerrime BARITAM aut MURIAS ejusdem ingestam obtundere oportet, *sulphate magnesiae* aut *sulphate sodae* ingerendo. *Sulphas* enim *baritae* protinus intra ventriculum gignitur; sal neque aquae, nec succo meatus alimenti solvendus. Omnes autem sales hujusmodi parum aut nihil laedunt. Eodem tempore, *murias magnesiae* aut *sodae* conficitur, et a succo ventriculi liquatur; quorum utrumque innocuum est. Quo minus *sulphas baritae* aliquid noceat; ventriculum remediis vomitui movendo idoneis vacuefacere decebit.

DE VENENIS ADSTRINGENTIBUS.

CCLXXXVI. DE VENENIS ADSTRINGENTIBUS, SCILICET, E PLUMBO PRAEPARATIS.

Plumbum ab aevis antiquissimis generi humano innotuit: multisque inservit utilitatibus; subcoerulei est coloris, malleo facile ducendum; nitore metallorum proprio haud levi donatur; sed aëri objectum cito obscuratur. Omnium mollissimum est, et quam facillime igne admoto liquescit; id est, quantum indicat gradus DCXII: pondus *specificum* numero 11.35 notatur.

Plumbum ipsum corporibus vivis nihil nocet: at *oxygenio* imbutum veneno fit pessimo. Vir per-

celeber THOMSONUS quatuor esse plumbi *oxyda* contendit: scilicet,

a. Oxydum flavum, quod ex plumbi partibus 91.5, et *oxygenii* 8.5, componitur.

b. Deutoxydum, quoque flavum, quod partes habet plumbi 90.5, et *oxygenii* 9.5.

c. Tritoxydum, rubrum, ex plumbi partibus 88, et *oxygenii* 12 confectum.

d. Peroxydum, ex plumbi partibus 80, et *oxygenii* 20, compositum.

Quamvis plumbum ipsum iners est, *oxygenii* tam avidum est, ejusque *oxyda* tanta facilitate *acida* attrahunt, ut utilitatibus domesticis et publicis quibusdam parum tuto inserviat. De his brevi sermone disserere in animo est.

Si quis liquor acidulus, veluti cerevisiae, vina et alia ejusmodi, diu vasis plumbeis includitur; demum hoc veneno inquinatur, pessimosque eventus edere potest. Aqua et plumbum haud sane se invicem afficiunt aut mutant, dummodo aër circumfluus excludatur: quod si vasa plumbea aquae continendo accommodata aëri aliquamdiu objiciantur; demum gignitur *carbonas plumbi;* quod, uti lamina alba pertenuis, aquae supernatare conspicitur. Antiqui hujus rei haud ignari, praesertim GALENUS et VITRUVIUS, aquam per fistulas plumbeas non ducendam esse contendunt.

Multi globis plumbeis exiguis (ex plumbo et *arsenico* praesertim confectis), uti consuerunt ad vasa vitrea expurganda. Haec consuetudo admodum perniciosa est: pauci enim globorum persaepe manent,

imo vasi infixi, vinum aliosve liquores acidulos dein infusos inquinaturi. Res est notissima, tunicam nitidam, qua multa vasa fictitia intus teguntur, ex plumbi *oxydo* constare; ideoque liquores *acido acetico* aliisve *acidis* saturos venenandi potentes fieri posse, vasis istiusmodi inclusos. Quum autem *murias sodae* tunicam similem constituere potest, omnia vasa fictilia, quae liquores acidulos continent, hoc sale innocuo, non *oxydo* plumbi, tunicata esse oportet.

Nec silere oportet de ratione infanda vinorum et cerevisiarum acorem tollendi, apud quosdam usitata: scilicet, *oxydum* plumbi hunc in finem adjiciunt. Non dubitari potest, quin causae omnes jam relatae multum operae ad *colicam pictonum* dispergendam contulerint.

Praeter *oxyda* plumbi, *superacetas*, liquor *subacetatis*, et *subcarbonas*, saepe sunt in manibus; et perquam exitiosa.

E. *Superacetas plumbi*, vulgo *Saccharum Saturni* vocatur; quippe quod *saccharum* specie haud parum simulat. Aquae unciae XXV unam unciam hujus salis solvendo sunt habiles. *Acidum sulphuricum* additum ejus principia statim invicem dissociat, evoluto *acido acetico*. *Superacetas plumbi* igni ingenti objectum in *plumbum* ejusque *protoxydum* flavum redigitur. Corpori humano perniciosissimum est.

F. *Liquor subacetatis plumbi*, Anglice GOULARD'S EXTRACT, ex aqua *subacetate plumbi* sa-

tura componitur: eademque mala, quae *superacetas*, arcessere potest.

G. *Subcarbonas plumbi*, vulgo, *Cerussa*, vernacule WHITE LEAD dicta, olim *oxydum* esse habebatur. Praeparatur tabulis plumbeis *acido acetico* in vaporem verso objiciendis; nec ratio satis in aprico esse videtur.

CCLXXXVII. DE SIGNIS, QUAE PRAEPARATIS EX PLUMBO INGESTIS ENASCUNTUR.

Signa differunt, prout copia ingens semel vorata fuerit; aut particulae exiguae crebrius acceptae fuerint, per ventriculum, pulmonem, cutem; aliove modo.

A. Signa COPIA INGENTI ACCEPTA oriunda sunt, dolor abdominis cruciantissimus serius ocyus venturus, nausea, vomitus, dolor sensim ingravescens, at ventre presso, levatus: alvus tardissima et pertinax, vix medicamentis expurganda, aut liquoribus per anum infusis ducenda. His malis brevi accedunt musculi ventris durissimi et quasi nodosi; et umbilicus, imo vero omnia viscera abdominis, retracta. *Sphincteribus spasmo* coarctatis, non solum alvus pigerrima est; verum etiam, urina suppressa non excernitur; certeve aegre et parce effluit. Ubi haec dira mala aliquamdiu torserint, serius ocyus in

delirium, sudores gelidos, atque nervorum distentiones lethales abeunt.

Quod si, medico acriter renitente, aut natura alma, aut copia aliquanto minore veneni sumpta, aut denique hisce omnibus coëuntibus, aeger non absumitur; alia signa supervenire observantur. Diu alvus pertinax nihil fere excernit, nec nisi difficillime medicamentis solicitatur: dolor ad dorsum et brachia tendit; et haec tandem *paralysi* solvuntur. Notatu dignum est, nullam aliam causam, praeter venenum propositum, *colicam* cum *paralysi* sociatam arcessere posse: ideoque haec duo mala clare idem acceptum denuntiare.

Non celare oportet, copiam amplissimam hujus veneni sumptam, inflammationem ciere posse.

B. Signa hoc veneno parcius et frequenter ingesto exorta, aliquantum a jam dictis discrepant. Pictores aliique artifices interdum, particulis exiguis plumbi cum spiritu acceptis, diu valetudine infirma plectuntur. Tremor artuum saepe accedit. Cibi nec rite appetuntur, nec sumpti concoquuntur: totum corpus tabescit: vultus fit luridus; oculi nitore solito destituuntur: interdum, caligo, vel gutta serena ipsa, supervenit. Dolor ventris, qualis *colicam* insignit, plus minusve saevit: modo summa cutis aurescit: et artus demum resolvuntur. Ne multa, actiones omnes animi et corporis insigniter languescunt.

CCLXXXVIII. DE SIGNIS CADAVERE SECTO REPERTIS.

Quem copia immodica *superacetatis plumbi* ingurgitata enecuit, corpore introspecto, haec patescunt: mala accenduntur, longe ab iis aliena, quae plumbum parce ingestum infert: ventriculus inflammationem subiisse conspicitur, easdemque fere notas ostendit, quae ex aliquo veneno rodente nascuntur. Facies ejus interior haud raro maculis nigris, cruori intus fuso debitis, vitiatur. ORFILA nos edocuit, quoties animal, ingesta magna hujus veneni copia, periit citra vomitum, membranam novam, subcaesii coloris, paulo crassiorem, faciei interiori ventriculi adnexam inveniri; membranamque mucosam ei subjectam colorem similem sibi praeferre.

Quod si hoc venenum parcius et crebrius admotum morte seriori hominem multaverit, signa longe alia, secto cadavere, apparent. Convenit inter medicos, alimenti canalem non *colica pictonum* absumptis inflammari; at intestinum universum, praesertim *colon* atque *rectum*, praeter naturam coarctatum reperiri. Interdum vasa *chylifera* et *lymphatica*, atque *ductus thoracicus*, aequo arctiora sunt. Corpus insigniter tabuisse videtur. Musculi, praesertim, artuum, qui scilicet, homine jam spirante, *paralysi* resoluti fuerant, praeter solitum candere feruntur. Veri est simile venena e plumbo confecta musculos dealbare, *osmazomio* diruendo vel mutando; si enim

caro bovilla aquae *superacetate plumbi* imbutae submergitur; brevi tempore exacto, perquam albescit.

CCLXXXIX. DE LAEDENDI RATIONE.

Quum copia hujus veneni ingens mortem repentinam movet; haud dubitari potest, quin membranam mucosam, cui admovetur, irritando, noceat. Quoties *colicam pictonum* gignit, mala, quae intestinum afficiunt, ad ejus nervos veneno admoto laesos referenda esse videntur. Caetera equidem signorum, nempe, tremor artuum, *paralysis*, tabes, venena e plumbo praeparata generi nervoso luctuosissima esse demonstrant. Id tamen efficiant, nervis ventriculi et intestini per contactum, aliisque generis nervosi partibus per consensum, laedendis; an prius absorpta sanguinem circumfluentem adeant, nervisque hujus ministerio noceant; minus in aprico esse videtur. Si propriam opinionem edere liceat, confiteor haec venena mihi utraque ratione occidere videri. Musculi omnes dealbati eadem absorberi ostendunt; eoque potius, quod carnem e cadavere belluae, antea integra valetudine usae, excisam, aqua *superacetate plumbi* infecta protinus candefacit. Res porro est satis medicis nota, liquorem *subacetatis* plumbi atque *emplastrum lithargyri* cuti imposita, subinde *colicam pictonum* cievisse. Valde equidem suspicor, venena fere omnia corpori vivo indita absorberi, nisi tanta rodendi et diruendi facultate polleant, ut momento temporis partis fabricam ipsam

solvant, (quorum exemplo sit *acidum sulphuricum* meracum); aut tam insigniter partis, cui admoveantur, nervos sedent, ut exinde mortem repentinam moveant: inter quae oleum *amygdali amarae* recensendum esse videtur.

CCXC. DE VENENIS PLUMBEIS DETEGENDIS.

Si suspicari liceat quemvis liquorem, nempe vinum, aquam aut oleum veneno plumbeo inquinari; hisce experimentis institutis venenum indicari poterit:

a. Si aqua meracissima *gase hydrogenio sulphurato* imbuta liquori suspecto adjicitur, natura subnigra illico praeceps decidit (dummodo venenum plumbeum adsit), scilicet, *sulphuretum plumbi.* Chemicus tamen acerrimus, LAMBE, contendit *gas hydrogenium sulphuratum* non semper ad hoc venenum detegendum valere; si pauxillum ejus adsit.

b. Si *sulphas potassae* aut *sodae* aqua dissolutum liquori suspecto adjicitur, statim pulvis candidus et gravis descendit; nimirum, *sulphas plumbi.* Hoc experimentum indici delicatissimo existimandum est; granum enim veneni plumbei unicum granorum centum millibus aquae dissolutum sic patefieri potest. *Sulphas plumbi* dignoscitur, eo quod non ab *acido nitrico* solvitur, atque in plumbum ipsum caloris ingentis atque carbonis ligni ope convertitur.

c. Si liquori suspecto *murias sodae* inditur, dejicitur *murias plumbi :* experimenta tamen jam relata huic longe antecellunt.

Quamcunque rationem hujus veneni deprehendendi sequamur; haud satis erit, aliquid praecipitari. Hoc non contentos, carbonem ligni eo mistum calefacere nos oportebit; quo metallum ipsum oculis patescat. Interdum, scilicet, liquor suspectus sale ferreo inquinatur; qui si adsit, *hydrogenii sulphurati* adjecti est, naturam subnigram dejicere; haud secus atque, sale plumbeo praesenti. Duplici modo verum invenire dubitanti licebit; vel re praecipitata carbone ligni mista igni subjecta; vel *acido muriatico* diluto ei affuso, quod ejusdem dissolvendae, si adsit sal ferreus, potens est; si plumbeus, impotens.

CCXCI. DE REMEDIIS UTENDIS.

Si quem modus largior *superacetatis plumbi* signis inflammationis ventriculi aut intestini plexuerit, omnibus medicinae auxiliis inflammationi devincendae aptis innitendum erit: quae fuso sermone describere alienum foret. Inter ea equidem praepollet sanguis, incisa vena, detractus. Si medicus, jam sumpto veneno, advenit, quam celerrime idem, instrumenti ministerio, cui nomen "*Stomach Pump*," educere decebit; aut vomitu medicamentis illato. Perraro tamen medicum penes est his remediis tempestive uti.

Si *colicae pictonum* notae graviter torqueant, me-

dicamenta, prius, quae *spasmum* solvant; deinde quae alvi dejectionem moliantur, danda erunt. Illuc attinent tepidarium, utres aqua fervente, vel arena calida pleni ventri impositi, necnon *opium* largius concessum, *aetheri sulphurico, camphorae,* similibusve adjunctum: huc vero, *submurias hydrargyri,* oleum seminum *Ricini communis,* folia *Cassiae sennae, sulphas magnesiae,* &c. Si alvus pertinacissima hisce obnitatur remediis, aliis in *colicam* idoneis, nempe, liquoribus per anum injectis, aqua frigida artubus inferioribus affusa, &c. utendum erit.

Praeter haec, artus *paralysi* soluti stimulandi sunt: scilicet, ictus *electrici* ab iis eliciendi; necnon frictio et medicamenta rubefaciendo apta praecipienda. Verisimile est folia *Rhöis Toxicodendri,* semina *Sinapis albae, oleum terebinthinae* et alia istiusmodi ingesta, opem esse latura; siquidem *paralyticos* saepe juvant, dummodo cerebrum aut fons nervorum partis affectae oppressus non musculos resolverit.

Denique, nonnulli praeparatis ex *hydrargyro* sic dari jubent, ut humores circumeuntes subeant; et salivae fluxum exinde immodicum moveant. Huic remedio praepotenti confidunt, eo quod opinantur facultatem plumbi veneniferam ab *hydrargyro* cum eo consociato obtundi vel deleri. Recte an secus judicaverint, statuere non audeo. Opinionem inanem eos sane fallere conjicio: satis enim constat, morbos plures notis febris aut *spasmi* insignitos, actioni *hydrargyri* obstare; nempe, salivae cursum,

his morbis urgentibus, cieri ab eo medicamento non posse; nec antea prodire, quam Natura alma aut alia remedia eos vicerint: unde nonnulli *hydrargyrum* hos morbos sustulisse perperam crediderunt. Valde suspicor nullum remedium hucusque cognitum hoc venenum actione *chemica* iners reddere posse.

CCXCII. DE VENENIS ACRIBUS.

Confiteor venena acria nullo limite satis perspicuo a venenis rodentibus discerni: nulla sane hujus argumenti distributio maculis prorsus vacat. Pleraque ex venenis acribus a plantis sive terra natis deducuntur. In animo est, imprimis de iis agere, quae aliunde oriuntur: haec vero sunt, *Cantharis vesicatoria*, *Phosphorus*; necnon quaedam venena *mechanica*.

CCXCIII. DE CATHARIDE VESICATORIA.

Si quando insectum, *Cantharis vesicatoria* dictum, ad venenandum adhibetur, in pulverem prius redigitur: cujus ideo dotes congnoscere medici interest. Hic pulvis nitidus est, subviridis, sui similis; odore acri et ingrato nares offendit. In prunas conjectus in eadem principia resolvitur, in quae omnes aliae naturae animalium propriae; scilicet, *carbonas ammoniae*, oleum *em-*

pyreumaticum, &c. Haud sane dubitari potest, hoc insectum ex iisdem elementis ultimis, quae caetera animantium constituunt, componi; nimirum, ex *oxygenio*, *hydrogenio*, *carbonio* et *nitrogenio*. Principia proxima sive *organica* feruntur esse, *stearina*, *eläina*, *phosphas calcis* et *magnesiae*; *acida aceticum* et *uricum*; et prae omnibus *cantharidina*, id est, res acris, cui dotes *cantharidum* propriae potissimum insident. *Cantharidina*, *micae* instar, ex laminis tenuibus et nitidis constat; aqua eam purissimam solvere nequit; olea omnia contra ex facili eam liquant.

CCXCIV. DE SIGNIS CANTHARIDIBUS INGESTIS ORTIS.

Aliquanto rarius homines hoc veneno sumpto perierunt. Quidam profecto necem sibi adsciverunt, *cantharidibus* largius acceptis ad instrumenta gignendi cienda. Alii foeminas (infandum facinus!) enecuerunt, hoc medicamento scelestissimo consilio ministrato. Modo *cantharides* dantur in pulverem redactae: modo, aqua ingeritur, quae prius fervens in easdem infusa fuerat: modo, *alcohol* iisdem imbutum conceditur. Quocunque modo praeparata ministrentur, dummodo largius sumantur, haecce pariunt mala.

Moliminibus gravissimis atque dolentissimis editis, aeger crebro vomitu torquetur sordis cruentae. Alvus est fusa, dejectionesque frequentes, nec raro sanguine tinctae. Dolor ventris universi saevit,

manu premente augendus, haud citra caeteras notas quae ventriculum et intestinum inflammari denuntiant. Accepimus, quaedam *hydrophobiae* signorum aliquando tentare; potiusve dixissem, mala *cantharidibus* prognata subinde ejus diri morbi propria quodammodo simulare. Interdum enim infelix ab omnigeno potu abhorret; atque inter bibendum musculi pene omnes graviter convelluntur.

Hoc autem venenum a quovis alio ex facili dignoscitur, vi immani, qua donatur, urinae instrumenta atque naturalia irritandi aut inflammandi. Nemo enim inter medicos ignorat, vel cutem *emplastro* e *cantharidibus* tritis et adipe inter se mistis confecto exulceratam, persaepe mingendi difficultate excipi: modumque ampliorem *cantharidum* corpori inditum non solum notas antea descriptas afferre; verum etiam, sensum ardoris quaesitissimi apud vesicae cervicem; urinam cruentam, parceque et frequenter excretam, imo vero suppressam; libidinem effroenam, colem intentissimum; et quae sunt istiusmodi.

CCXCV. DE SIGNIS POST MORTEM REPERTIS LAEDENDIQUE RATIONE.

Si quem hoc venenum liquidum aut concretum ingestum occiderit; ei, introspecto cadavere, canalis alimenti notas inflammationis acerbae praegressae sibi induere solet. Quinetiam, membrana mucosa vesicae et gignendi instrumentis circumjecta haud raro praeter naturam rubescit, vel ulceribus vitiatur.

Qua ratione venenum propositum noceat, oratione producta quaerere non opus est. Copia ingens vorata sine dubio ventriculum et intestinum per contactum inflammat: caetera malorum ei absorpto, atque ad renes cum sanguine circumfluente delato, tribuenda sunt. Neque ullus dubito, quin *cantharides* demum cum humoribus circumeuntibus sociatae, canalis alimenti inflammationem antea accensam vehementer exasperent.

CCXCVI. DE VENENO DETEGENDO, ATQUE CURATIONE IDONEA.

Probabile est quodque ex medicamentis potentioribus ab animalibus aut plantis deductis principio acri sui simili ejus facultatem, sive venenandi, sive morbis medendi, debere: quam plurima enim ex iis acies chemicorum jam patefecit; veluti *Morphiam*, *Strychniam*, *Hyoscymiam*, *Picro-toxiam*, *Kiniam*, &c. &c. Nuperi porro *Cantharidinam* ab insectis, de quibus agimus, extraxerunt. Cum tamen nullam rationem ejusdem dignoscendae hucusque edocuerunt; quo *cantharides* ingestas necem intulisse statuamus, signis ipsis, potissimumque mingendi difficultati, urinae cruentae, coli porrecto, notisque ventriculi inflammati simul urgentibus, insistendum erit. Si equidem cognoverimus *cantharides* in pulverem redactas sumptas alicui exitio fuisse; medici erit, inciso cadavere, membranam mucosam canalis universi sedulo inspicere; cui eum pulverem hic illic haerere conspectum iri verisimile

est. Quod si inveniatur, colore et odore propriis ex facili patebit atque dijudicabitur.

Quod ad remedia, inflammatio ventriculi venas statim vacuefieri, et alia auxilia ejusmodi adhiberi, desiderabit. Reliqua malorum debellari debent, tepidario, liquoribus mulcendo idoneis epotis, necnon *camphora* ministrata.

CCXCVII. DE PHOSPHORO.

Jam diu PHOSPHORUS *chemicis* notus fuit: qui olim studio auri faciendi flagrantes variis experimentis hunc in finem institutis urinam subjecerunt: unde PHOSPHORUM invenerunt.

PHOSPHORUS est unum elementorum, quae flammam ex facili concipiunt; semipellucidus est, cerae candidae haud absimilis, subflavus. Hoc praesertim eum ab aliis discernit; quod sua sponte loco tenebroso inclusus lucet, *oxygenio* simul absorpto, fumoque candido allium olente ascendente; qui est *acidum phosphorosum*. Hinc pondus PHOSPHORI aëri circumfluo objecti sensim decrescit. PHOSPHORUS usque ad gradum CXLVIII^{um} calefactus aëre circumdante, flammam albam et clarissimam edit, in *acidum phosphoricum* vertendus. *Alcohol* atque olea PHOSPHORO solvendo sunt habilia: aqua sincera eundem non mutat.

PHOSPHORUS medicamentum est praepotens: raro sane ad aegros sanandos a medicis Britannicis conceditur: genus nervosum, et praesertim gignendi instrumenta, fortiter stimulat: quo fit ut non-

nulli eo usi sint, ad *typho, paralysi, chlorosi* atque *anaphrodysia* laborantibus succurrendum.

CCXCVIII. DE SIGNIS INGESTO PHOSPHORO ORTIS, &c.

Simul atque ingens copia PHOSPHORI ventriculum subierit, sive concretus sumatur, sive oleis aut *alcohole* prius dissolutus, omnes notas ventriculi graviter inflammati accendit: quas hic fuso sermone describere vix opus est.

Homine mortuo, signa solita inflammationis, patefacto cadavere, prodeunt.

De laedendi ratione pauca habeo, quae proferam: PHOSPHORUS ipse per se noceat, an prius in *acidum phosphorosum* vertatur, incertus haereo: suspicor hoc *acidum* quam citissime, PHOSPHORO vorato, intus fieri: factumque membranam mucosam contactu inflammare.

Hoc venenum facile post mortem detegitur, fumo allium olente, aliisque ejus dotibus antea descriptis. De remediis nihil pro comperto praedicare possum. Si inflammatio sane exardeat, venis vacuefactis sedanda erit: nescio tamen aliqua remedia PHOSPHORO obtundendo habilia. Demulcentes potus experiendi. Si medicus veneno jam sumpto adsit, instrumento utendum, cui nomen "*Stomach Pump.*"

CCXCIX. PAUCA DE VENENIS MECHANICIS.

Quaedam res ingurgitatae necem homini aut belluis adscissere possunt, prae figura particularum aspera et inaequali: hujusmodi sunt vitrum in pulverem minus subtilem redactum, atque crines breviores; nempe capilli equini aut suilli contriti. Haec proculdubio inflammationem alimenti meatus membrana mucosa irritanda et dilaceranda, ciere possunt. Exemplum (Vide "Edinburgh Med. Journ. July MDCCCXIII") literis mandatur intestini *scirrho* affecti, ob crines ingestos, diuque canali infixos: aeger diu alvum tardissimam, et saevum ventris dolorem, questus fuerat; cibos male concoxit, demumque tabe et dolore confectus periit. Cadavere patefacto, ventriculus multo crassior quam fert natura repertus est, ore inferiori simul coarctato. Intestinum universum eandem fere speciem sibi praetulit. *Coli* totius linea media aequo major fuit, ab initio usque ad arcum *sigmoideum* ineuntem: qui contra arctissimus vix minimi digitorum capax fuit: ibidem porro sex crines suilli inclusi apparuere; fons malorum omnium evidens.

Denique, venena hujusmodi omnia canalem alimenti inflammare solent; et diutius parti angustiori inhaerendo, notas *colicae* gravissimas, necnon, (si homo ad id malum natura sit proclivior), *scirrhum* ipsum movere possunt.

CCC. DE VENENIS ACRIBUS, QUAE TERRA NATA PRAEBENT.

Plantae et animalia brutae telluri hoc praesertim distant; quod mortua in perpauca elementa ultima arte CHEMICA resolvi possunt; at vero nequaquam, iis elementis arte eadem inter se consociatis, renasci possunt. Plantae scilicet omnes ex *carbonio, hydrogenio,* et *oxygenio* constant, (quibusdam aliis elementis sane exceptis, quae parcissima sunt); quaecunque enim planta, aut natura e plantis deducta comburatur, in *acidum carbonicum* atque aquam redigitur. Res omnes quoque ab animalibus ortae potissimum ex *carbonio, oxygenio, hydrogenio* et *nitrogenio* componuntur: eoque calore vel putredine resolutae, plurimum *ammoniae* praebent. Nemo tamen oleum, *gummi-resinam,* &c. conficere potest, *carbonio, oxygenio* et *hydrogenio* inter se consociatis. Parique ratione, *fibrina, albumen, ozmazomium,* &c. ab eorum ultimis principiis invicem arte junctis, fieri nequeunt.

Satis patet ex jam relatis, venena omnia ex plantis deducta aliquanto difficilius ab acie *chemicorum* patefieri, quam ea quae effodiuntur, vel quae res effossae praebent. Huc accedit, venena plantis deducta quam facillime mutari, et resolvi, eorum ultimis elementis, aut sua sponte novam institutionem induentibus, aut alia ex rebus vicinis sibi attrahentibus: ex quo efficitur, ea ingurgitata, etsi necem cito

afferant, cadavere introspecto, persaepe aciem medicorum latere.

Inter venena acria terra nata, praecipue notatu digna sunt, *gummi-resina Stalagmitidis Cambogioidis*, radix *Veratri albi*, radix *Hellebori nigri* atque *foetidi*, succus *Momordicae Elaterii;* fructus *Cucumeris Colocynthidis*, *gummi-resina Euphorbiae officinalis*, folia *Juniperi Sabinae*, *Aconitum Napellus*. Huc adjicio *nitras potassae;* quippe quod plantis quibusdam acribus subest; et fortasse venenandi facultatem iis impertit.

CCCI. DE GUMMI-RESINA STALAGMITIDIS CAMBOGIOIDES.

Gummi-resina, cui nomen *Gutta gambogia*, est succus concretus aurei coloris, quem folia et rami *Stalagmitidis cambogioidis* incisa fundunt. Planta ipsa in India Orientali viget. Haec *gummi-resina* madefacta pulcherrime flavescit. Aqua duos trientes, *alcohol* unum solvere potest: unde statuendum est *gambogiam* duplo plus *gummi* quam *resinae* habere.

Gambogia ingesta alvum acerrime purgat; scilicet, tormina atque dejectiones liquidas et copiosas movet: et exinde hydrope et *diabete mellito* vexatis saepe opitulatur. Si modus amplissimus conceditur, morte multare potest, alvo praeter modum solicitanda, atque membranis mucosis contactu inflammandis.

Si, cadavere introspecto, sordes aurea meatui alimenti subesse reperitur; venenum propositum sic deprehendere licebit. Si *potassa, soda* vel *ammonia* aqua dissoluta in sordem suspectam infunditur, dummodo *gambogia* vorata fuerit, eam ex toto solvit; *acidum*que deinde additum naturam croceam atque pulcherrimam dejicit.

CCCII. QUAEDAM DE VERATRO ALBO.

VERATRUM ALBUM est planta CLASSI POLYGAMIA, ORDINI MONOECIA, ORDINIque NATURALI, CORONARIAE, ab LINNAEO subjecta; quam Europa Meridionalis ubique sua sponte praebet. Etsi omnes ejus partes acres sint, et veneniferae, radix unice dari consuevit, ad valetudinem adversam tollendam, aut ad necem afferendam.

Chemici, experimentis nuper institutis, compererunt, hanc plantam, haud secus atque plures alias, principium sui generis continere, virium ejus propriarum fontem; quod *Veratriam* appellant. Hanc porro *acidi gallici* tantae copiae adjunctam VERATRO ALBO inesse monstrarunt, ut *supergallas veratriae* recte contineri dicatur.

Radix VERATRI ALBI modice sumpta alvum vehementer ciet, instar *gambogiae* aut *Jalappae convolvuli* radicis. Largiori manu ingesta mala pejora molitur: qualia sunt, vomitus dolentissimus, haud raro cruentus; alvus fusa; dejectiones crebrae et sanguinolentae; anxietas quaesitissima; vertigo, tremores artuum, motus cordis et arteriarum exilissimi

atque celerrimi, animae defectio; tandem veternus, nervorum distentiones, et sudores gelidi, in mortem ipsam abitura.

ORFILA nos edocuit hoc venenum summo corpori admotum (dummodo ei parti *cuticula* prius direpta fuerit), eadem fere mala arcessere. ETMULLERUS contendit, vomitum ab eo ventri adhibito nasci. Quinetiam, gentes nonnullae eodem sagittas inficere consuerunt, quo certiorem et ocyorem necem hostibus adsciscerent.

Hisce perspectis, vix dubitare licet, quin VERATRI ALBI radix vorata, vel exteriori parti imposita, absorbeatur, sanguineque circumfluente misceatur; hujusque ministerio, generi nervoso exitiabilis fiat.

De signis cadavere introspecto patefactis, aut ratione veneni detegendi, nihil fere pro comperto, quod proferam, habeo.

Aqua *nido cyniphis (gallis)* saturrima, caeteris remediis praepollere fertur.

CCCIII. QUAEDAM DE HELLEBORO NIGRO.

Helleborus niger apud Montes Apenninos, aliasque Europae Australis partes, viget. LINNAEUS eum retulit ad CLASSEM POLYANDRIA, ORDINEM POLYGYNIA, ORDINEMque NATURALEM MULTISILIQUAE. Radici ejus insidet facultas medicinalis, ideoque venenifera; odor foetidus, saporque perquam amarus atque acer, ei contingunt. Omnia quae de VERATRO ALBO praedicavi, ad hanc quo-

que plantam attinent. Illud solummodo adjicere oportet; nimirum, HELLEBORUM NIGRUM largius sumptum intestinum *rectum* semper inflammare; praeter alia mala, quae gignit, haud secus atque VERATRUM ALBUM.

CCCIV. DE HELLEBORO FOETIDO.

HELLEBORUS FOETIDUS, qui vulgo HELLEBORASTER nominatur, per agros Anglicos dispersus invenitur; ubi sua sponte viget et floret. Alvum quam acerrime movet; atque largius sumptus mala jam dicta (CCCII. CCCIII.) ciendi potens est.

CCCV. DE SUCCO MOMORDICAE ELATERII.

Europa australis MOMORDICAE ELATERII dives est. Succus ejus fructus medicamentum est fortissimum. Fructus hujus plantae CUCUMERIS proprio similis est. Antiqui succo saepe uti solebant ad alvum acriter purgandam. Quamvis omnes hujus plantae partes potestate alvi ciendae, ideoque vi exitiosa, donantur; prae caeteris succus mediae partis fructus eadem praeditus est.

Succus concretus, quo medici utuntur, natura est viridis, saporis amari et acris; sincerus, ponderis est *specifici* exigui, et in ignem conjectus flammam emittit. Vires ejus principio sui simili insident; cui nomen, *Elatina*; cujusque granum circiter unum decem granis succi ipsius inest. *Elatina* ex-

trahi potest, succum concretum in *alcohol* injiciendo.

Elatina vel succus alvum, uti jam proposui, quam acerrime movet; et modus alterutrius amplior sumptus veneno est potenti; quod membranam mucosam per contactum graviter irritat, inflammat et exulcerat; et inde necem affert.

Remedia optima sunt sanguis, vena incisa, missus, si inflammatio exardeat; deinde potus mulcendo apti, necnon *opium*.

CCCVI. DE MEDULLA FRUCTUS CUCUMERIS COLOCYNTHIDIS.

CUCUMIS COLOCYNTHIS ad CLASSEM MONOECIA, ORDINEM MONADELPHIA, ORDINEM NATURALEM CUCURBITACEAE, pertinet. Fructus mole et figura fructui *Citri aurantii* similis est. Medulla hujus, saporis admodum amari et acris, apud medicos ad alvum expurgandam adhibetur. Modus amplior eadem fere mala edit, quae *elatina*. ORFILA, porro, experimentis institutis edocuit, hoc venenum non solum ventriculum et intestina per contactum laedere; verum etiam saepe absorptum humores circumeuntes adire.

Quod ad Remedia, vide CCCV.

CCCVII. DE GUMMI-RESINA EUPHORBIAE OFFICINARUM.

EUPHORBIA OFFICINARUM planta est Africana, CLASSI DODECANDRIA, ORDINI TRIGYNIA, ORDINI NATURALI TRICOCCAE, subjecta. *Gummi-resina* ejus alvi acriter purgandae potens est: nitida, vitrea, odoris expers, sapore tamen acri os exasperat. *Resina* unica vires medicinales aut veneniferas habet; pars enim, quam *alcohol* solvit, eadem omnino potestate praedita est, qua *gummi-resina* ipsa. Hoc medicamentum ad alvi dejectionem ciendam ministratum, persaepe vomitum molestissimum, atque dejectiones cruentas gignit. Cuicunque parti adhibeatur, eandem contactu irritat et exurit; summo capiti impositum (*alcohole*, scilicet, solutum) efficit ut capilli decidant; verrucasque exedere potest. Accepimus, cuidam succum EUPHORBIAE oculo admotum inflammationem accendisse incitatissimam, caligine finitam: notissimum est equidem, hanc *gummi-resinam* in pulverem redactam oculis infestissimam esse.

Quae de potestate venenifera *Elatinae* et *Colocynthidis* memoravimus, eadem de EUPHORBIA sunt praedicanda.

CCCVIII. QUAEDAM DE JUNIPERO SABINA.

JUNIPERUS SABINA ubique fere Europae viget; praesertim, Australis; ad CLASSEM DIOECIA, ORDINEM MONADELPHIA, ORDINEM NATURALEM CONIFERAE, attinet. Folia, prae caeteris partibus, dari consuerunt, sive ad aegros sanandos, sive ad venenandum: odore injucundo, sui simili, gravi, nauseam moturo, nares, atque sapore acri, amaro, et pungente os et fauces, offendunt. Hae dotes oleo *volatili* admodum forti tribuendae sunt: quod mingendi et gignendi instrumenta praecipue stimulat, ideoque mulieribus, quibus menstrua suppressa non fluunt, succurrere potest. Interdum porro ob eandem causam, ad abortum faciendum, praecipitur. Modo oleum jam dictum, saepius ipsa folia contrita, huc conceduntur. Tanta vi irritandi praedita est haec planta, ut nonnulli auctores eam inter *Escharotica* recensere haud dubitaverint; nec raro unguentum ex foliis praeparatum ad cutem rubefaciendam et exulcerandam imponitur.

ORFILA, multis fretus experimentis, statuit hanc plantam duplici ratione laedere, et enecare; nimirum, imprimis, partes interiores, id est, membranas mucosas, quas ingesta tangeret, valde irritare et inflammare; deinde absorptam et sanguini circumeunti immixtam, praesertim ventriculo, intestino *recto*, atque generi nervoso, exitiabilem esse.

CCCIX. DE ACONITO NAPELLO.

ACONITUM omnigenum perquam est veneniferum: CLASSI POLYANDRIA, ORDINI TRIGYNIA, ORDINIque NATURALI MULTISILIQUAE, a LINNAEO subjicitur. JUSSIEVUS hanc plantam inter RANUNCULACEAS posuit. Aliqua ejus pars exitiosa est. Folia, caulis aut radix manducata, os sapore acerrimo, et ardoris sensu, in labiorum et gingivarum torporem desituris, exasperant. Succus hujus plantae arte spissatus, generi nervoso nocentissimus est: imo vero ORFILA clare monstravit eundem cuti summae admotum (dummodo *cuticula* violetur) necare posse. BRODIUS quoque, experimentis institutis confisus judicat, eum in ventriculum sumptum, hujus nervis contactu afficiendis, cerebro nocere; prae miro nexu, quo haec duo viscera inter se committuntur; non quod hoc venenum absorberi posse negat; sed quod, praeter generis nervosi mala eo absorpto et sanguini immisto oriunda, cerebrum altera quoque ratione laedi posse contendit.

Denique, ACONITUM NAPELLUS largiori manu concessum duplici modo venenat; partim membranis, quibus adhibetur, contactu violandis, cerebroque, per harum nervos, afficiendo; partim, humoribus circumeuntibus adeundis, et exinde partibus interioribus vitae necessariis vitiandis.

CCCX. DE NITRATE POTASSAE.

NITRAS POTASSAE inter venena acria plantis deducta recensui, partim quod mala fere eadem gignit; partim, quod aliquae plantarum acrium hoc sale imbuuntur, eique vires medicinales atque exitiabiles debent.

NITRATIS POTASSAE uncia una ab unciis septem aquae, cujus temperies gradu LX^mo^ instrumenti Fahrenheitani indicatur, dissolvi potest; ab una autem aquae bullientis uncia ex facili solvitur. NITRAS POTASSAE ab aëre circumfluo haud mutatur; leviter calefactum liquescit. Si sulphure, aut *carbonio*, aut quavis alia natura, flammae concipiendae potenti miscetur; inflammatio vehemens accenditur, quam *chemici* DEFLAGRATIONEM nominant: gignitur simul calor ingens, cujus ratio vel origo minus in aprico est.

CCCXI. DE SIGNIS NITRATE POTASSAE INGESTO EXORTIS.

NITRAS POTASSAE modice concessum ad aegros sanandos, corpus refrigerat, urinam movet; ideoque febricitantibus, et hydrope implicatis saepe opitulatur. Quinetiam, *scorbuto* laborantibus haud parum succurrit; siquidem *oxygenii* dives est.

Si quis unciam ampliusve NITRATIS POTASSAE ingurgitat (eo pro *sulphate sodae* habito), protinus accedunt dolor ventriculi et abdominis urentissimus,

manu premente ingravescens, sordis cruentae vomitus creber, et dolentissimus; dejectiones cruentae; sensus ardoris cruciantissimus, ad praecordia relatus; spirandi difficultas, et animae defectio: quae mala in artus gelidos, tremores, tendines digito subsilire perceptos, delirium, stuporem et mortem, serius ocyus abeunt. Opus est uncia una, vel sesquiuncia ingesta, quo mala jam descripta pariantur.

ORFILA auspice, docemur NITRAS POTASSAE vulneri inditum gangraenam lethalem progignere; necnon ingurgitatum, partibus, quas tetigerit, irritandis, venenare; id est, vim ejus exitiabilem non ei absorpto et ad sanguinem delato tribuendam esse.

CCCXII. DE NOTIS, CADAVERE PATEFACTO INVENTIS.

Mortuorum corporibus scalpelli ope introspectis, membrana ventriculi intima praeter naturam rubere conspicitur, maculis subatris hic illic inquinata: non raro penitus diruta reperitur.

CCCXIII. DE NITRATE POTASSAE DETEGENDO, &c.

Quum NITRAS POTASSAE cum quovis eorum, quae flammam concipere possunt, mistum et igni admotum DEFLAGRATIONEM subit; exinde satis facile detegi poterit.

Quod ad remedia, potus mulcendo apti copiose bibendi sunt.

CCCXIV. DE VENENIS NARCOTICIS.

Quaedam ex donis praestantissimis, quae DEUS Optimus Maximus in genus humanum contulit, haud raro hujus ingenium pervicax in perniciem convertit: id quod praesertim de NARCOTICIS omnibus, maximeque de OPIO, praedicare licet: quod in plura morborum genera, veluti, *gangraenam*, quasdam febres, atque *tetanum*, pene unico est remedio utili; viresque concidentes eo usque refocillat, ut ab SYDENHAMO solus pene stimulorum nominetur. Nullum tamen omnium medicamentorum, quae MATERIA MEDICA complectitur, largius aut intempestive sumptum, veneno exitiosiori est. Quum *alcoholis* et vini instar, admodum vitae flammam concitat, et ebrietatem inferre potest; multi, eo quotidie ingesto, tandem, valetudine exinde contrita, in senectutem maturam incidunt, et vix dum quadragenarii absumuntur.

Inter venena *narcotica* potissimum habenda sunt, OPIUM, ACIDUM HYDROCYANICUM, OLEUM AMYGDALI AMARAE, NICOTIANA TABACUM, et ejusdem oleum, ALCOHOL, ATROPA BELLADONNA, CAMPHORA, HYOSCYAMUS NIGER, LACTUCA SATIVA et VIROSA, CONIUM MACULATUM, atque COCCULUS INDICUS.

CCCXV. DE OPIO.

PAPAVER SOMNIFERUM ad CLASSEM POLYANDRIA, ORDINEM MONOGYNIA, ORDINEM NATURALEM RHOEADES, pertinet. Si ejus capsulae nondum maturae, id est, COROLLA jam delapsa, inciduntur, succus albus lacti similis stillat; qui aëri et luci objectus concrescit. Hic succus concretus OPIUM nominatur. Apud officinas duo genera inveniuntur, scilicet, OPIUM TURCICUM et INDICUM: quorum illud huic anteponitur. OPIUM porro TURCICO non secundum in Britannia praeparatur. OPIUM est fusci coloris, viscidum, odoremque emittit gravem et sui similem; *alcohol* dilutum partem maximam solvit: aqua fervida quinque partes duodecimas, *alcohol* sex, vel paulo amplius. Principia *opii chemica* sunt, *resina*, *gummi*, *extractina* amara, natura *glutini* similis, paululum *sulphatis* calcis; *narcotina*, atque praesertim MORPHIA ACIDO MECONICO adjuncta: id est, MECONIAS MORPHIAE.

MORPHIA ex OPIO sejungitur, *magnesia* purissima OPIO aqua dissoluto adjicienda: sequitur, ut MECONIAS *magnesiae* fiat et solvatur, MORPHIA autem dejiciatur, haud equidem pura; *alcohol* calefactum dein affusum naturam coloris fusci genitricem solvit; dejecta MORPHIA ejusdem vacua.

ACIDUM MECONICUM sic praeparari potest. Si *nitras baritae* OPIO aqua soluto additur, MECONIAS *baritae* praeceps cadit, soluto simul MOR-

PHIAE *nitrate.* Si deinde *acidum sulphuricum* in MECONIAS *baritae* infunditur, *sulphas baritae* dejicitur, evoluto ACIDO MECONICO, quod facile concretum ab liquore extrahitur.

NARCOTINA est id principium, quo nititur facultas insignis OPII propria animi erigendi, si MAGENDIO et ROBIQUETO equidem fides habenda est. *Aetheris sulphurici* auxilio, ab OPIO dissociari potest. Verisimilius est, ut opinor, hoc remedium mirabile vires ejus proprias MECONIATI MORPHIAE atque NARCOTINAE debere.

MORPHIA est sal *alcaloideus* decolor: chrystalli ejus pellucidae sunt, figura pyramides referunt. Aqua fervida non nisi pauxillum MORPHIAE solvit: *alcohol* contra calefactum ejus dissolvendae praepotens est. MORPHIA est perquam amara, omnibus dotibus OPII potissimum instructa. Sal *alcaloideus*, jure vocatur, eo quod succos herbarum coeruleos virides reddit, flavosque rubro-fuscos; ex MORPHIA porro atque *acidis* coëuntibus fiunt sales medii: et quidam salium, qui ex *acidis* et metallorum *oxydis* componuntur, MORPHIA adjecta, resolvuntur. MORPHIA, uti THOMSONUS edocuit, ex *hydrogenii* partibus 0.0555, *carbonii* 0.4528, *oxygenii* 0.4917, componitur. Quidam sane *nitrogenium* ei inesse contendunt. Probabile est hanc aliasque res *alcaloideas* nuper inventas, medicis brevi perutiles esse futuras; eoque potius, quod ex unica earum permulta, nova medicamenta fieri possunt; siquidem *acida* fere omnia cum iis consociari possunt.

Sulphas morphiae sal est, cujus *chrystalli prismata* figura simulant: unciae duae aquae purissimae ad unam ejus unciam solvendam valent. Constat ex

Acidi Sulphurici partibus		22
Morphiae,	- -	40
Aquae,	- -	38
		100

Nitras morphiae chrystallos exhibet aciculis similes, admodum graciles: sesqui-uncia aquae purissimae uni unciae ejus dissolvendae habilis est. *Nitras morphiae* constat ex

Acidi Nitrici partibus		20
Morphiae,	- -	36
Aquae,	- -	44
		100

Murias morphiae chrystallos habet pertenues; cujus uncia una ab aquae unciis decem et semisse solvitur. Componitur ex

Acidi Muriatici partibus		35
Morphiae,	- -	41
Aquae,	- -	24
		100

Acetas morphiae sal est, cujus *chrystalli* aciculas referunt. Medici Gallici his omnibus pro medicamentis uti consuerunt. Confiteri oportet, nunc quam olim multo facilius esse clam et impune venenare: multi enim horum salium detectu perdifficiles sunt, et parcissime dati occidunt.

Praesertim memoratu dignum est, de ACIDO MECONICO, sales ferreos, quibus *peroxydum ferri* inest, ab eo addito quam maxime rubefieri; id est, *meconias peroxydi* ferri ruberrimum esse: necnon ACIDUM MECONICUM ex iisdem principiis ultimis, ex quibus MORPHIA, componi.

CCCXVI. DE SIGNIS OPIO LARGIUS INGESTO ORTIS.

Quantum *opii* ad necandum valeat, non semper statuere licet: consuetudo ejus actionem imperio perinsigni regit. Quicunque nimirum indies hoc medicamentum vorat ad animum erigendum, impune modum amplissimum, qui insuetum occidere possit, sumit. Nec raro Turcus satis tuto drachmam quotidie ingurgitat: scire tamen licet grana x, xx ampliusve quemvis insuetum morte multare posse. Vorata *opii* copia jam dicta, homo paulo postea soporatus jacet; artus omnes solvuntur: pupillae patentiores, quam fert natura, vix luci objectae contrahuntur: infelix stertit, graviterque, tarde et aegre spiritum trahit et emittit. Hoc signum haud sane perpetuum est: interdum enim respiratio vix percipienda est. Vultus luridus est, atque collabitur: summa cutis madet; simulque friget. Pulsus arteriarum exiliores et tardiores aequo esse consuerunt. Potissimum equidem notandum esse judico, *opium* actionibus vitalibus, maximeque spiritui, inimicum esse. Cutis sudore glutinoso et gelido, *opium*que olente, diffluit; nec raro anhelitus

odore eodem adstantes offendit. Homo vix aut ne vix quidem incitamentis vel acerrimis excitandus est. Demum, *sphincteribus* laxatis, urina et stercus animi injussu elabuntur. Quamdiu aliquis tantis malis supervivat, incertum est : alii, sex horis, alii decem vel duodecim exactis, pereunt : perpauci, *opio* manu largiori sumpto, non intra horas XXIV, certeve XXXVI, animam ducunt extremam.

Aliquando modus *opii* ingens acceptus initio vomitum movet : qui si accedit, summa ope juvari et provocari debet ; sic ut hoc venenum exitiabile inde ejiciatur. At vero simul atque signa jam relata supervenerint, si vomitus inter principia defuerit, nunquam sua sponte invadit : imo vero difficillime cietur ; cujus rei rationem mox exponere nitar.

Si quis modum exiguum *opii* non assuefactus ingerit, is longe aliter se habet. Vires animi et corporis haud parum concitantur ; eo ut homo impune summo labori aut frigori se objiciat : summa cutis ubique praeter solitum incalescit, et interdum prurit : motus arteriarum pleniores et aliquanto tardiores fiunt ; secernenda et excernenda minus secernuntur et excernuntur ; fortasse, eo quod *opii* est motus omnes, qui animi injussu fiunt, tardare. Hinc, alvi pigrities *opium* sumptum excipit. Nosse juvat, hoc medicamentum modice acceptum non semper efficere, ut homo dormiat ; subinde, contra, somnum arcere.

Denique, signis jam memoratis (*opio* scilicet parce ingesto ortis) denuo accedunt languor animi et corporis impatibilis, necnon omnes actiones interio-

res labefactatae ; sicut miserum haud raro vitae taedeat. Quantoque jam saepius aliquis *opio* parcius ingurgitato se refocillare consueverit, tanto diriorem in languorem, hujus stimuli fortissimi actione singulis vicibus finita, labitur, non nisi eodem iterum accepto consolandus.

CCCXVII. DE NOTIS INTROSPECTO CADAVERE REPERTIS.

Siquidem *opium* haud, instar *acidorum* fortium, aut *acidi arsenosi*, partes interiores, quibus admovetur, erodit, aut actione *chemica* diruit ; non admirari oportet, alimenti meatum vix aliquas notas memorabiles, introspecto cadavere, medico ostendere. ORFILA, quo praesertim duce et auspice nitendum est, ventriculum et intestinum pene integra reperiri contendit ; nec unquam sane vitiosa esse affirmat, nisi *sulphas cupri* aut *sulphas zinci* aut quodvis aliud medicamentum acre, homine jam spirante, ad vomitum eliciendum, ingestum fuerit. Quum enim *opium* ventriculi fibras pene resolvit, vix fieri potest, ut, eo largius vorato, medicamina fortissima vomere faciant : quae ideo assumpta nocentissima fiunt. Quamvis autem alimenti meatus vitio caret, corpus nequaquam signorum veneni praepotentis accepti expers est.

Pulmo praeter naturam rubet ; imo vero colorem purpureum aut subatrum sibi praefert : densior est, quam ex consuetudine ; nec, digitis ei impressis, crepat.

Cerebri et ejus membranarum vasa sanguine ultra debitum impleta conspiciuntur. Medulla *spinalis*, ejusque membranae, eandem fere speciem exhibent.

De sanguinis habitu alii aliter scribunt: quidam affirmant sanguinem liquidum cordi vasisque omnibus subesse: quem contra saepe coactum reperiri ORFILA asseruit.

CCCXVIII. DE LAEDENDI RATIONE.

Alii aliter de ratione, quo *opium* venenat, senserunt. Inter primos hujus rei scrutatores habendus est WHYTTIUS; cui *opium* nervis partis initio, et deinde, horum ministerio, genere nervoso toto, hebetandis, occidere videtur. MONRO secundus omnium primus verum exposuit: (vide MONRO "on the Morbid Anatomy of the Gullet," p. 92.) BRODIUS porro et alii hodierni compererunt, venena pene omnia eadem fere ratione exitiosa esse. Hi viri percelebres, experimentis permultis freti, statuunt, *opium* ingestum initio efficere, per contactum, ut nervi ventriculi torpeant, et exinde nervi omnes ejusdem torporis sint participes; deinde, absorptum ad sanguinem circumeuntem deferri, et per eum, actionem cerebri, medullae *spinalis*, pulmonis atque cordis impedire; et ita denuo necem homini adsciscere. Nemini sane artis medicinalis paulo scientiori dubitare licet, quin *opium* aliquanto postea absorbeatur, quam voratum fuerit: instrumentum enim, quod apud hodiernos "Stomach-pump" nominatur,

parum aut nihil proficit, nisi hoc veneno jam sumpto admoveatur.

Plerique *opium*, *apoplexia* gignenda necare affirmant: atque fateri oportet, mala eo exorta *apoplexiam* haud parum referre; nempe, pupillas luce haud coarctatas, dormiendi cupiditatem, artus resolutos, &c. *opio* vorato hebetatis cum *apoplexia* laborantibus communia esse. Quum vero medici ea voce, *apoplexia*, uti consuerunt, quo morbum cerebro presso debitum significent; me judice, satius est proponere, *opium* occidere, cerebro, medulla *spinali*, spirandi instrumentis et corde, per sanguinem eo imbutum, laedendis; quam *apoplexia* afferenda.

Vir eximius ALISONUS (vide "Edinburgh Medical Journal") exemplum nuper literis mandavit *opii* largius sumpti; quod aliqua nova luce hoc argumentum mihi illustrare videtur. Medicamentis fortissimis frustra ad vomitum moliendum concessis, demum ventriculum arte per instrumentum jam relatum vacuefecit. Homo tamen in stuporem altum labi coepit, eo quod vasa absorbentia, ante ventriculum depletum, venenum tulerant; nec nisi, spirandi instrumentis plures horas summo studio concitatis, aeger tandem revaluit. Hoc exemplum permagni habendum existimo: monstrare videtur, hoc praepotens venenum, simul atque humores circumfluentes adierit, praesertim spirandi instrumentis sedandis, vitae flammam extinguere.

CCCXIX. DE OPIO DETEGENDO.

Si quem copia ingens *opii* vorata morte multaverit, quam plurima veneni accepti naturam edocent. Imprimis, vix quodvis aliud venenum signa propria jam descripta arcessit: deinde, vel homine jam spirante, duabus potissimum notis monstratur; nimirum, vomitu difficillime moto, atque sudore *opium* olente.

Cadavere patefacto, si succi ventriculi et intestini *opium* habent, odor proprius, quem halant, idem satis indicabit. Quod si medicus hoc non contentus altius inquirere velit; *morphiam* extrahere, eique sales ferreos, vel aureos, affundere oportebit; efficit enim, uti illi laete rubescant, hi admodum purpurascant.

CCCXX. DE CURATIONE IDONEA.

Quam celerrime, *opio* ingurgitato, ventriculum vacuefacere opus est. Quum vero fibrae ejus insigniter hebescunt, acerrimis utendum est remediis ad vomitum eliciendum; nempe, granis XX ampliusve *sulphatis zinci;* aut granis X ampliusve *sulphatis cupri,* datis. Multum aquae tepidae simul bibendum est; et fauces penna, aliave re simili titillandae; quo vomitus juvetur.

Nonnulli radicem *ipecacuanhae* largissime sane concessam, aut semina *sinapis,* medicamentis jam

dictis anteponunt; recte an secus, non comperire potui.

Si vomitus cieri nequeat, nulla mora interposita, instrumentum, cui nomen "*stomach-pump*," experiendum est: et tempestive adhibitum procul dubio hominem salvum reddet. Nonnulli affirmant aquam frigidam cuti nudatae affusam eo genus nervosum incitare, et ejus torporem tollere, ut vomitus facile ciendus sit. Quum vero medici demum modum certiorem ventriculi deplendi excogitaverint, scilicet, instrumenti ope jam saepius relati; alia remedia huc accommodata meminisse pene supervacuum est.

Sanguinem, vena incisa, mittere interdum juvat: de quo tamen remedio inter medicos non convenit. Quantum judicare possum, non venas vacuefacere decet, nisi homo natura sit plenior, et ad *apoplexiam* proclivis, vultusque praeter debitum rubeat et turgeat. Hisce notis urgentibus, venam *jugularem* secare praestabit; exinde enim capitis vasa quam primum exonerantur. Manifestum est, ni jam proposita me fefellerint, sanguinis missionem non semper idoneam esse.

Veneno jam expulso, prae omnibus, cavendum erit, ne homo soporetur; variis incitamentis huc concessis. Inter haec, praepollere videntur caeteris ea, quae spirandi instrumenti suscitant; veluti, *alcohol ammoniatum*, *liquor ammoniae*, *carbonas*ve aut *succinas ammoniae* naribus pene continenter illatum; necnon medicamenta eadem aut similia pectori infricata; atque aqua frigida faciei aspersa. Si, his

stimulis ministratis, homo stupere perstat, raroque graviter et difficulter anhelat, panni lanei aqua fervente madefacti circa ventriculum imponendi, vel ictus *electrici* ab eadem parte eliciendi. Quicquid enim ventriculum refocillat, spirandi instrumentis stimulo est praepotenti: fortasse, eo quod incitamenta ei visceri admota nervum vagum cient: qui ventriculi actionem juvare videtur, non recta per se; at potius indirecte; eorum musculorum, qui spiritui dicantur, ministerio. Hinc patet, cur haec remedia in ASPHYXIAM valentissima sint. Ad soporem porro arcendum, corpus exagitare, et summam cutem rubefacere aut pungere, juvabit. Si artus frigent, aqua tepida fovendi sunt. *Acidum aceticum* et alia medicamenta, quae nonnullis *opium* actione propria obtundere videntur, prorsus inutilia sunt.

CCCXXI. DE ACIDO HYDROCYANICO, CYANOGENO, OLEOQUE AMYGDALI AMARAE.

Acidum *hydrocyanicum*, sive *borussicum*, omnium fortasse venenorum luctuosissimum, certeve potentissimum est: siquidem ejus meracissimi una fere gutta linguae canis, felis aut cuniculi imposita, enecando par est. Quum porro hoc venenum admodum est subtile, aegre detegendum, et quibusdam fructibus, aut plantarum succis, qui saepe ingeruntur, inhaeret; paulo fusius de eo agere in animo est.

Diu chemici hoc *acidum borussicum* (Anglice, "Prussic") nominare solebant; eo quod pigmento purpureo vernacule "Prussian blue" dicto inest. Hodierni *Acidum hydrocyanicum* vocant, nomen ex elementis proximis deductum. Haec vero sunt *cyanogenum* atque *hydrogenium;* illud ex *carbonio* et *nitrogenio* constat: ideoque elementa veneni propositi ultima sunt *carbonium, nitrogenium,* atque *hydrogenium.*

Cyanogenum, cyanureto hydrargyri tepefacto, haud aegre in sublime fertur; et formam aëriam sibi induit. Hoc *gas* odore peracri, sui simili, et perquam subtili, nares afficit. Animantia eo circumdata illico pereunt; flamma statim extinguitur. *Cyanogenum,* igne et aëre circumfluo admotis, flammam edit coeruleam. Aqua, *alcohol, aether sulphuricus,* oleum *terebinthinae,* et alii liquores, ei dissolvendo sunt habilia. Succi quarundam plantarum e coeruleis, eodem imbuti, rubescunt.

Si moles aliqua *gasis hydrogenii* cum eadem *cyanogeni* mole miscetur, exinde progignitur *acidum hydrocyanicum;* quod ita factum vaporis speciem sibi induit: hinc natura *chemica* equidem *acidi* propositi clarissime patet. Nec desunt aliae, multaeque ejus gignendi aut parandi rationes. Folia *Pruni laurocerasi,* fructus *Amygdali amarae,* aliaeque plantae, hoc veneno imbuuntur; quod aqua mistum in sublime fertur, idoneisque vasis adhibitis colligi potest, foliis istis et aqua simul decoquendis. *Acidum hydrocyanicum* ita praeparatum aliis quibusdam rebus ei immixtis inquinatur.

Quinetiam, si *ammonia* per fistulam *carbone* ligni incandescente instructam trajiciatur, in *acidum hydrocyanicum* convertitur. Hoc experimentum luculenter edocet ultima ejus elementa esse *carbonium, nitrogenium* et *hydrogenium.*

Quod si medicus hoc *acidum* ad aegros sanandos praeparare velit; rationem Scheelianam sequi oportet; quam paucis exponere haud alienum judico.

Si unciae quatuor *hydrocyanatis ferri* (Anglice, "Prussian blue") duabus unciis *subnitratis hydrargyri* rubri atque unciis duodecim aquae meracae mistae, igne admoto, decoquantur; si dein liquori colato adjiciantur uncia una ferri limati, et drachmae septem *acidi sulphurici:* calore dehinc admoto, *acidum hydrocyanicum* alieni cujusvis purum in sublime fertur. Quod ad rationem, *hydrocyanas hydrargyri* imprimis gignitur; postea ferrum, *oxygenio peroxydo hydrargyri* adempto, in *oxydum* ferri convertitur, *hydrargyro* ipso dejecto: *oxydum* ferri cum *acido sulphurico* sociatum in *sulphas* ferri vertitur. Hinc efficitur, *hydrargyrum* praecipitari, *sulphas*que ferri atque *acidum hydrocyanicum* nulli alii naturae adjunctum, aqua dissoluta adesse; ideoque, hoc, caloris ope, ascendere, atque colligi posse. Aliis porro modis venenum, de quo agimus, praeparari potest; quos exponere vix opus est.

Acidum hydrocyanicum meracissimum liquor est pellucidus et decolor, ejusdem odoris, cujus flos Mali *persici,* sive *Amygdali amarae;* saporis sui generis, initio blandi et subdulcis, at paulo postea acris,

pungentis et subamari sensu os et linguam afficit. Ex facili in vaporem vertitur. Luci objectum cito in *acidum carbonicum, ammoniam, hydrogenium carbonatum,* atque *protoxydum carbonii* redigitur.

Animalia hoc *acidum* non habent; quod tamen a sanguine, *subcarbonatis potassae* et ignis ministerio, praeparari potest, si quidem ejus elementa ultima sanguini insunt: *acidum,* scilicet, *ferro-borussicum,* sive *ferro-hydrocyanicum* cum *potassa* consociatum ita nascitur.

Oleum *amygdali amarae* volatile, si VOGELIO fidere liceat (vide PARIS et FONTBLANQUE, p. 405) ex *acido,* quod prosequor, meracissimo, alioque principio admodum exitiabili, inter se mistis componitur: contendit enim, si *potassa* ei affunditur, *hydrocyanas potassae* fieri; hoc porro exsiccato (quod rectius equidem *Cyanides potassii* vocatur), et sejuncto, partem olei superstitem facultate venenandi summa praeditam esse. Eo potius inducor, qui VOGELIO confidam, quod plures plantae atque fructus necandi potentia, duplici principio eam debent potestatem. Exemplo sit, *Nicotiana tabacum,* vel *opium,* vel cortex *Cinchonae officinalis.*

CCCXXII. DE MALIS ACIDO HYDROCYANICO EXORTIS.

Jam diu medici *acidum hydrocyanicum* omnium pene venenorum esse valentissimum; cujus meraci paucae guttae vitae flammae extinguendae sunt pa-

res. MEADIUS ipse, qui, GEORGIO Primo et Secundo sceptrum tenentibus, floruit, multa de aqua *Pruni lauro-cerasi destillata* memoria digna scripsit; quam summa venenandi facultate praeditam esse novit.

Si quis pauxillum sumit hujus *acidi* meraci, aut guttas perpaucas olei *amygdali amarae* (quod ex eodem meracissimo potissimum constat), haecce mala luctuosa protinus accedunt. Derepente homo, perinde quasi anima deficeret, humum petit, sentiendi et se movendi fere impotens. Spiritus vix trahi et emitti percipitur; nec sane, nisi tabula vitrea naribus orique admota (quae scilicet madet), hominem anhelare novisse licet. Carpo contrectato, arteriae digito subsilire vix percipiuntur. Artus perfrigent; aliquid caloris circa praecordia superstitis unice vitam permanere testatur. Memorabile est, oculos, inter haec, nitore solito instrui; vultumque nec convelli nec distorqueri.

SCHEELIUS, MAJENDIUS, et plures alii retulerunt, vel vaporem hoc diro veneno ortum ei objectos enecuisse. MAJENDIUS experiendo didicit, quodvis fere animalium, subito emori, cujus linguam stylus hoc veneno, oleove *Amygdali amarae*, madefactus tetigerit; avemque ex improviso perire, si vasi vitreo patenti ejusdem pleno superemineat.

DUVIGNAU (vide PARIS et FONTBLANQUE, vol. ii. p. 403) atque PARENT nos certiores fecerunt guttas XVIII aquae *amygdali amarae destillatae* meracissimae acceptas, vertiginem, caliginem et stuporem inferre; guttasque ejusdem XXII, ampliusve,

iis malis vomitum atque nervorum distentiones adjicere. Vix opus est aliis experimentis citatis vires exitiosas hujus *acidi* probare: unum tamen jam dictis addere non alienum duco. Res est satis nota, felem esse animal vitae tenacissimum, multis noxis, quae alia extinguunt, obnitendo aptum. BRODIUS tamen felem occidit, intra partem horae duodecimam, una gutta olei *amygdali amarae* linguae instillata; aliamque felem, eodem spatio temporis exacto, necuit, guttis duabus ejusdem olei aqua mistis in intestinum *rectum* infusis.

CCCXXIII. DE NOTIS, CADAVERE SECTO, INVENTIS.

Quum venenum, quod prosequor, non membranas mucosas rodere, sed genus nervosum facultate sui simili hebetare et sedare videtur: haud mirandum est, cadavera absumptorum non multa, secus atque fert natura, ostendere. Haec tamen interdum conspiciuntur; (vide PARIS et FONTBLANQUE, vol. ii. p. 408); membrana scilicet ventriculi mucosa leviter inflammata; vasa cerebri praeter naturam sanguine referta; pulmo subater. Quidam porro auctores affirmant, oculos post mortem haud collabi; at prominere et nitere, haud aliter atque homine vivo et sano. Perpauca denique memoria digna, aut rationem laedendi patefactura, corporibus introspectis, deteguntur.

CCCXXIV. DE LAEDENDI RATIONE.

Omnia, quae de hoc veneno retuli, satis docent idem nervos quam maxime sedare. Oleum *amygdali amarae* procul dubio occidit, nervis partis tactae, atque per eos, toto genere nervoso, sedandis; linguae enim instillatum quam celerrimam affert mortem. ORFILA contra contendit, *acidum hydrocyanicum* absorptum cum sanguine misceri, et exinde necem moliri. Me judice, hic medicus clarus *acido* proposito utebatur haud tam meraco, ut necem repentinam afferre posset; ideoque venenum non solum partis initio tactae nervos sedasse, verum etiam humores circumeuntes adiisse. Oleum autem antea dictum hoc venenum habet meracissimum, et inde prius occidit, quam vasis absorbentibus officio perfungi liceat. Quidam sane contendunt, oleum *amygdali amarae* alio veneno, praeter *acidum hydrocyanicum*, imbui. Denique, statuere oportet, hoc venenum merum nervis ab eo tactis, et inde caeteris omnibus hebetandis, lethale esse; at dilutius absorberi, sanguini immisceri, atque hujus ministerio, cerebrum, nervos, cor, pulmonem, &c. vitiare, et exinde vitam extinguere.

CCCXXV. DE ACIDO HYDROCYANICO DETEGENDO.

Si, cadavere patefacto, perpaucae notae insolitae prodeunt, simul succi meatus alimenti, aut aliarum

partium eundem odorem, quem fructus *Amygdali amarae*, aut folia *Pruni lauro-cerasi* edunt; conjicere, imo vero judicare licet, mortem huic veneno funestissimo deberi. Quo tamen certior medicus fiat, hisce experimentis innitendum.

A. Si liquori suspecto colato paucae guttae *potassae alcohole* solutae adduntur, et dein guttae aliquae *sulphatis* ferri aqua dissoluti; natura subrubra cadit; quae ex *sub-borussiate*, sive *sub-hydrocyanate* ferri constat. Quod si deinde pauxillum *acidi sulphurici* huic affunditur, color ejusdem protinus subcoeruleo-viridi mutatur: si denique aëri circumfluo res dejecta sic mutata patet; paulo postea laete purpurascit; scilicet, in naturam, vernacule "Prussian blue" dictam, vertitur.

B. Si *carbonas potassae* dissolutum liquori suspecto affunditur, et *sulphas* ferri solutum, necnon pauxillum *supersulphatis argillae* et *potassae* adjiciuntur; demittitur illico natura subcoerulea, quae, *acido sulphurico* addito, laete purpurascit; id scilicet fit, quod "Prussian blue" nominatur.

Alterutrum horum experimentorum satis respondebit: quod si hisce non contenti, ancipites haerere perstamus; tertium instituere licebit.

C. Si natura purpurea (vide A. et B.) dejecta *acido tartarico* mista et vasi vitreo indita eo usque tepefiat, ut gradus centesimus et quinquagesimus temperiem indicet; protinus ascendit *acidum hydrocyanicum*, vaporis instar.

CCCXXVI. DE REMEDIIS UTENDIS.

Acidum hydrocyanicum genere nervoso, ideoque principio vitae ipso recta sedando, mortem adsciscit; haud aliter atque *gas nitrogenium* lucernam, potestate sedatrici, extinguit. Uti flamma hujus in *gas oxygenium* conjecti statim renascitur, dummodo id, nulla mora interposita, fiat; ita quoque, remedia, quae generi nervoso fortiter stimulando et suscitando apta sunt, veneno proposito optime renituntur: qualia sunt, *alcohol*, spiritus Gallicus, Indicus, aut Batavicus, *camphora*, *aether sulphuricus*, *ammonia* atque ejus *subcarbonas*. Jam diu sane medici cognoverunt, *ammoniam* atque alia incitamenta ejusmodi in *acidum hydrocyanicum* perquam valere. MEADIUS enim perceleber, qui GEORGIO Secundo regnante artem Apollinarem exornavit, ejusdemque Regis valetudini medicus consuluit, quosdam aqua veneno proprio *Pruni lauro-cerasi* imbuta epota hebetatos, *subcarbonate ammoniae* ministrato, revaluisse affirmat.

Acidum aceticum aliaque *acida* e succis plantarum deducta, quae ORFILA hoc veneno torpentibus succurrere contendit, usu nocentissima esse comprobantur. Idem auctor venas interdum vacuefaciendas esse monet: haud tamen consilii anceps sanguinem mittere esse infelicem jugulare propono.

CCCXXVII. DE NICOTIANA TABACO.

NICOTIANA TABACUM planta est Americana, ideoque, America nondum explorata, gentibus Europaeis ignota. Aborigines Americani ab aevis antiquissimis eam excolere consuerunt. LINNAEUS eandem retulit, ad CLASSEM PENTANDRIA, ORDINEM MONOGYNIA, ORDINEM NATURALEM LURIDAE. JUSSIEVUS eam inter plantas *Solaneas* posuit. Si *opium* excipiatur, nulla alia re terra nata genus humanum plus utitur. Multiplici equidem consilio et modo *nicotianae tabaci* folia adhiberi solent. Interdum contrita et in pulverem redacta in nares cum spiritu accipiuntur, et sternuere faciunt; alii ea manducare consuerunt; alii fumos iisdem ustis oriundos ex tubo fictili ori admoto hauriunt.

Nuperi luce nova hanc plantam illustrarunt. Jam diu sane cognoverant, ejus foliis inesse *gummi-resinam, extractinam, nitras potassae*, atque *ligninae* pauxillum. Duobus autem principiis *alcaloideis* nuper patefactis, vires medicinales aut exitiabiles potissimum inniti videntur; nempe, *nicotinae* atque *narcotinae*. Oleum *nicotianae tabaci* utramque continere videtur; at fortasse unius plus quam alterius: siquidem nequaquam eadem infert mala, quae aqua foliis imbuta; nec eadem ratione nocet. Oleum funestissimos edit eventus, vel parcissime ingestum: aqua porro atque

alcohol principia, quibus foliorum vires nituntur, attrahere et solvere valent.

CCCXXVIII. DE SIGNIS NICOTIANA TABACO INGESTA ORTIS.

Folia *Nicotianae tabaci* contrita, aquave, *alcohol* aut vinum iis imbuta, notas admodum funestas ingurgitata, aliave ratione corpori indita, progignere possunt. Paulo postea accedere solent artuum tremor, vertigo, nausea quaesitissima in vomitum desitura; sudores gelidi; demumque animae defectio lethalis. Aliis venenis potissimum discrepat, quod efficit, idque cito, ut totum corpus quam maxime intremiscat.

Res est medicis satis nota fumos *nicotianae tabaci* per alvum injectos, aut aquam foliis imbutam summae cuti affusam, subinde notas jam relatas peperisse; quo fit, ut haec planta non tuto ad aegros sanandos ministretur, nisi praecipiente medico sagaci atque cauto. Non dubitari potest, quin hoc medicamentum praepotens saepe *hernia* et *colica* tortis opituletur: scire autem licet, idem *asphyxia* hebetatis perniciosissimum esse, vitam, si mors nondum supervenerit, proculdubio extincturum. Neque tamen defuere, qui eo usi sunt.

CCCXXIX. DE NOTIS SECTO CADAVERE REPERTIS, ATQUE LAEDENDI RATIONE.

Siquidem hoc venenum genere nervoso obtundendo, non membranis mucosis rodendis aut exasperandis, nocet; cadaver introspectum perpauca signa notatu digna patefacit.

Quod ad laedendi rationem, convenit inter omnes, *nicotianam tabacum* nervos sedandi potentissimam esse. Sive enim liquor ejusdem dives bibatur, sive *recto* intestino committatur, sive cuti summae imponatur; extemplo nauseam, animae defectionem, aliaque istiusmodi mala, arcessit.

Illud vero inquisitu dignum est, hocne venenum (olei instar *amygdali amarae*) contactu unico occidat; nimirum ventriculi, aliusve partis ab eo tactae nervis, perque eorum ministerium universo genere nervoso, sedandis; an quoque absorptum sanguini circumeunti immisceatur; atque exinde cerebrum, cor, medullam *spinalem*, aliasque partes interiores vitae necessarias, torpore afficiat. Ni me fefellerit haec quaestio, ita eam expedire oportet. Aqua *alcohol* aliusve latex hoc veneno saturrimus, largius acceptus vel admotus, mortem citam affert, partis tactae nervis, atque per eos, caeteris omnibus laedendis; unde viscera, quorum actiones vitae flammam alunt, officiis fungendis inhabilia fiunt. Venenum ita inditum non vasis absorbentibus committitur; solummodo quod prius actiones interiores, quibus

vita continetur (ideoque actionem eorum vasorum propriam) delet, quam absorberi possit.

Si contra liquor *nicotiana tabaco* aliquanto parcius infectus ab aliquo voratur, membranaeve mucosae aut *serosae* adhibetur; duplici ratione noeet: imprimis, partis, quam initio tetigerit, nervos hebetat, et inde totum laedit genus nervosum; deinde, absorptus et sanguine mixtus, cerebro, medullae *spinali*, cordi, pulmoni, &c. lethifer est.

Quamvis mihimet persuasi *nicotianam tabacum* modo jam relato venenare; haud celare oportet, experimenta Brodiana alio ducere. BRODIUS enim his fisus oleum *nicotianae tabaci* cerebro soli perniciosum esse, corde, arteriis et venis illaesis, credit: aquam contra foliis arte imbutam cordi recta exitiosam esse; eo ut ejus motum antea extinguat, quam spiritus conquieverit.

Ni fallor, expérimenta Brodiana rationi jam prolatae non dissentiunt. Oleum volatile cerebro, non cordi exitiabile ei videtur; aqua foliis tincta cordi perniciem afferre apparet: eo quod me judice, illud fortius et acrius nervos multo magis quam haec sedat; et exinde interdum morte prius multat, quam vasa absorbentia munus exequi possint.

CCCXXX. DE NICOTIANA TABACO DETEGENDA, ET REMEDIIS UTENDIS.

Nicotina et *narcotina*, duo ista principia, quibus vires aut pestiferae aut salutares hujus veneni nituntur, vix, quantum scio, dotibus eorum *chemicis*

clare patefieri possunt. Si quis tamen, ingesta *Nicotiana tabaco*, periit, succi ventriculi atque intestini ea inquinati colorem et odorem proprium ejusdem prae se ferunt. Neque non signa sui similia hoc veneno nata, multum conferre possunt operae, ad id indicandum.

Optime hoc veneno torpentibus succurritur, incitamentis datis, pene iisdem, quae, *acido hydrocyanico* sumpto, juvant: qualia sunt, frictio, tepidarium, vis *electrica* aut *galvanica*, *camphora*, *subcarbonas ammoniae*, *alcohol*, spiritusve Gallicus, Batavicus aut Indicus.

CCCXXXI. DE DIGITALI PURPUREA.

Digitalem purpuream Linnaeus subjecit classi Didynamia, ordini Angiospermia. Ubique Europae crescit. Folia apud medicos usurpantur: *chemia* tamen hodierna parum aut nihil lucis iis affudit. Perraro ad venenandum dantur; at saepe ad morbis medendum.

Illud potissimum de hacce planta notatu dignum est; eam cor arteriasque valde sedare; ideoque in plura valetudinis adversae genera, viribus concitatis stipata, multum valere: qualia sunt, inflammationes viscerum, venis sane prius vacuefactis; *haemoptysis*, *hypertrophia cordis*, *aneurisma*, *phthisis* incipiens, et alia istiusmodi.

Si autem plus aequo sumatur, aut justo crebrius, hae notae fere accedunt: nausea quaesitissima, interdum vomitus; vertigo, mens admodum demissa,

atque imaginibus inter se disparibus turbata; inquietudo; motus cordis et arteriarum tardus atque imbecillus; artusque perfrigentes. Inter *Digitalem purpuream* atque *opium*, praesertim interest, hoc intempestive aut largius acceptum mala *apoplexiae* similia arcessere; nempe, stuporem, aut dormiendi cupiditatem, &c.: illam contra statum corporis *syncope* affinem moliri; atque somnum potius arcere, quam ciere.

De hac planta quoque memorabile est, signa funesta ab ea oriunda tarde prodire, tardeque evanescere; nimirum, si quis indies modum justo aliquanto ampliorem accipiat, ea signa vix ante diem tertium vel quartum apparere; neque vero illico, praetermissa *Digitali purpurea*, evanescere; at per aliquot dies permanere. Hujus rei ratio satis patere videtur: signa luctuosa jam dicta ad hoc venenum absorptum, sanguinique circumfluo immixtum, releganda sunt. Quum vero actiones corporis omnes vehementer sedat, necesse est ut tarde ad humores circumeuntes deferatur; delatumque haud cito foras ejiciatur: quo efficitur, ut quantum tres quatuorve dies ingestum fuerit, id totum sanguini eodem tempore subesset.

Digitali purpurea sumpta hebetato optime succurritur remediis datis, quae actionibus omnibus refocillandis accommodentur: scilicet, *alcohole*, *camphora*, *aethere sulphurico*, vino; et quae sunt hujusmodi.

CCCXXXII. DE ATROPA BELLADONNA.

LINNAEUS ATROPAM BELLADONNAM retulit ad CLASSEM PENTANDRIA, ORDINEM MONOGYNIA, ORDINEM NATURALEM, LURIDAE: JUSSIEVUS ad ORDINEM NATURALEM, SOLONACEAE. Ubique Britanniarum viget sua sponte. Nulla ejus pars venenare nequit. Vis ejus praesertim principio *alcaloidaeo* debetur, cui nomen, *Atropia*. Probabile est equidem omnes plantas, facultate medicinali aut pestifera instructas, principia istiusmodi habere. *Extractum Atropae Belladonnae* ita praeparatum ut faecula viridis desit, acerrimum est, diuque vires servat proprias.

CCCXXXIII. DE SIGNIS ATROPA BELLADONNA SUMPTA EXORTIS.

Baccis, foliis aut radice voratis, paulo postea labra, fauces et lingua insigniter arescunt: difficultas glutiendi exercet; pupillae immotae non luce admota contrahuntur. Hisce malis accedunt nausea, raro vomitus, eaedemque pene notae, quae ebrietatem insigniunt: aeger risu vehementer exagitatur; membra inaequaliter jactat, atque delirat; modo fatuus fit, at raro stupet. Vultus rubet, atque turget: deinde motus arteriarum exilissimi fiunt; alvus fluit; summa cutis maculis coeruleis efflorescit, et sudore gelido madet: demum nervorum distentiones hominem eripiunt.

CCCXXXIV. DE NOTIS, CADAVERE SECTO, INVENTIS.

Quos ATROPA BELLADONNA enecuit, horum cadavera ex facili et cito putrescunt; maculis lividis foedantur. Cruor ex ore, naso, oculis, &c. sua sponte effluit, foetorque impatibilis nares offendit. Membrana mucosa ventriculi et intestini signa inflammationis praegressae exhibet, quae interdum usque ad *mesenterium* atque jecur serpserat; nec desunt exempla ventriculi exulcerati. Pulmo subater sanguine purpureo plus aequo turget. Cor subinde livet.

CCCXXXV. DE LAEDENDI RATIONE.

Triplici ratione hoc venenum nocet. Imprimis, nervos partis tactae fortiter sedat, certeve afficit: quod satis docet pupilla extemplo, succo ejus in *corneam* instillato, ampliata: deinde, membranas mucosas contactu irritat, atque haud raro inflammat; id quod ventriculus exulceratus satis superque monstrat. Quinetiam, hoc venenum absorptum quoque cum humoribus circumeuntibus miscetur. Hoc satis patefaciunt sanguis non coactus, maculae coeruleae toti cuti inspersae, mens turbata vel fatua, pulmo vitiosus, et alia signa.

CCCXXXVI. DE ATROPA BELLADONNA DETEGENDA.

Si puer vel puella baccas ingurgitaverit, et multum evomuerit; hae sordi ejectae immixtae statim deteguntur. Quod si aeger non vomitu torquetur, baccae, cadavere introspecto, ventriculo aut intestino inesse conspiciuntur. Si homo copiam ingentem hujus veneni sumpserit, medicum *atropiam* extrahere oportebit: scilicet, folia, baccae aut radix plantae suspectae ex aqua purissima decoquenda sunt. Liquori dein colato, atque *albumine* privato ope *acidi sulphurici* adjecti, *potassa* affundenda est, dum aliquid praeceps cadere desinat. Rei dejectae, prius aqua purissima lotae, affundendum *acidum muriaticum:* ita fit *murias atropiae*, quod dissolutum latet: *ammonia* huic adjecta *atropiam* demittit.

Atropia est candida, chrystallis gracillimis praedita, insipida: aqua frigida parum ejus solvere potest: *alcohol* quoque frigidum parce eam dissolvit, calefactum ex facili et multum liquat: atque eo liquore frigente, *atropia* sua sponte descendit.

CCCXXXVII. DE REMEDIIS UTENDIS.

Hoc veneno ingesto, quam primum vomitus elici debet, concesso *sulphate zinci* aut *sulphate* cupri, aut alio medicamento huc apto. Si instrumentum, cui nomen "*stomach-pump*," in manibus est,

eo uti quam ista dare praestat, ut opinor. Haec tempestive adhibita aegrum fere morti eripere poterunt: quod si venenum prius absorptum totum corpus subierit, vix hominem salvum facere licebit.

CCCXXXVIII. DE HYOSCYAMO NIGRO.

HYOSCYAMUS NIGER ad CLASSEM PENTANDRIA, ORDINEM MONOGYNIA, ORDINEMque NATURALEM LURIDAE, pertinet: JUSSIEVUS eum subjecit ORDINI NATURALI, SOLANEAE. Haec herba ubique Britanniarum viget: tota ea venenandi potens est. Folia, aliave pars, ingesta nauseam, stuporem, delirium, respirationem gravem et tardam, et alia signorum, quae *opio* concesso nascuntur, inferunt. Pupilla immota atque ampliata non luce contrahitur: pulsus arteriarum, vorato *Hyoscyamo* nigro, initio duriores fiunt; deinde exiles et crebri. Paulo ante spiritum extremum, cutis non raro maculis coeruleis efflorescit. Haec herba, haud secus atque *Atropa belladonna*, principium *alcaloideum* continet; cui nomen, *Hyoscyamia*. ORFILA, experimentis institutis, edocuit, hoc venenum eadem mala progignere, sive ingurgitetur, sive telae reticulatae indatur, sive in venam injiciatur. Hinc statuere licet, vasa absorbentia *hyoscyamum* accipere et sanguini circumfluo committere: cui immixtus cerebrum et nervos vehementer sedet.

CCCXXXIX. DE DATURA STRAMMONIO.

Datura Strammonium planta est annua Americana; nunc vero in hortis Britannicis ubique coli solet. Hujus plantae omnes partes venenandi facultate pollent. Si folia, radix, aut alia pars ingeritur, vertigo, stupor, nausea, pupillae patentes, et pleraque malorum, quae *Atropa belladonna* oriri notavimus, enascuntur. Principium *alcaloideum*, quod chemici *daturinam* vocant, huic plantae inest, eique vires medicinales atque perniciosas praebet.

Quod ad signa, notas cadavere secto inventas, atque remedia, ea quae huc attinentia de *Atropa belladonna* scripsimus, de *Datura strammonio* jure praedicantur. Duplici actione juvare aut nocere videtur; scilicet, nervis partis tactae afficiendis; atque humoribus circumeuntibus adeundis.

CCCXL. DE CONIO MACULATO.

Linnaeus Conium maculatum ad classem Pentandria, ordinem Digynia, ordinem naturalem, Umbellatae, relegavit. Ubique fere terrarum sua sponte crescit. Herba tota, at potissimum folia, potestate venenandi donantur. Folia recentia contrita nares eodem odore, quo urina felis, offendere feruntur. Siquidem haec herba quasdam alias utiles et innocuas quodammodo simulat; multa exempla mortis ab ea inopinato sumpta

exortae literis mandantur. *Extractum Conii maculati* rite praeparatum omnes vires ipsius plantae proprias habet.

Hoc venenum easdem fere notas, quas *Datura strammonium*, *Hyoscyamus* niger, *Atropa belladonna*, &c. movet.

Cadaveribus ab eo absumptorum introspectis, prae aliis signis, dignum est notatu, vasa cerebri ejusque membranarum praeter naturam sanguine turgere.

Conium maculatum duplici modo agit: absorptum cum sanguine miscetur, et exinde cerebro atque nervis nocet: quinetiam, membranam mucosam, cui admovetur, irritat, et interdum inflammat. Si signa cerebri inflammati accedunt, venis vacuefactis aliisque remediis in inflammationem idoneis debellanda sunt: ventriculus porro deplendus est remediis jam saepe expositis. Quibusdam *acidum aceticum conii* vim obtundere videtur.

CCCXLI. DE STRUCHNO NUCE VOMICA.

Struchnos nux vomica classi Pentandria, ordini Monogynia, ordini naturali Apocyneae, subjicitur. Haec arbor apud Indiam Orientalem floret; fructus ejus (scilicet, nux) apud medicos usitatus est, nec raro vires perinsignes exhibet; salutemque, aut perniciem affert, prout tempestive, et medico prudenti praecipiente, aut intempestive, atque sceleste, concedatur. Hoc venenum perquam amarum est, odoris simul expers.

Siquidem NUX VOMICA [persaepe ad mures aut sorices enecandos adhibetur, vulgus eam belluis unicis perniciosam credere solet: haud tamen exempla deficiunt hominum hoc veneno accepto abreptorum. Canes, vulpes, lepores, et equi, eo sumpto, cito moriuntur.

NUX VOMICA ab aliis venenis hoc potissimum distat: quod musculos fere omnes, praesertim, ad truncum corporis attinentes, cor, &c. *spasmo tonico* torquet: quo fit ut spirandi difficultatem summam, stuporem; et demum, actione cordis, pulmonis et septi transversi impedienda, ipsam mortem moliatur. STRUCHNOS NUX VOMICA, uti multae aliae plantae medendi aut venenandi potentes, principium habet *alcaloideum*, virium ejus fontem, cui nomen *Strychnia*; quae sic praeparari solet. Fructus *aethere nitrico* mixtus actioni lebetis PAPINIANI subjiciendus est: *alcohol* dein concreto superstiti affundendum, quo idem dissolvat; hoc liquore in vaporem ope caloris verso, superest concretum; quod si aqua solvitur, *potassa* addita, STRYCHNIA demittitur. STRYCHNIA est sal candidus, chrystallis instructus, quae *prismata* pyramidibus finita simulant. Odore vacat; os sapore perquam amaro offendit: aëri circumfluo objecta non mutatur. Calefacta nec liquescit, nec in sublime fertur, nisi tantum caloris adhibeatur, quantum eam diruat; id est, in elementa ultima convertat. Calefacta ad gradum usque LXXX^{mum} nigrescit, et resolvitur, evolutis *acido carbonico, hydrogenio carbonato*, oleo *empyreumatico acido*que *acetico*. Granorum aquae

centum millia non nisi grana XV STRYCHNIAE solvere possunt.

STRYCHNIA ingesta veneno est potentissimo: quam celerrime *tetanum* et inde mortem affert. Dimidia pars grani ejus cuniculo concessa, *tetanum*, horae parte XXX^{ma} exacta; mortemque, horae parte XII^{ma} exacta, intulit.

Sulphas, murias, nitras, phosphas, carbonas, et *hydrocyanas Strychniae* praeparari possunt: haec omnia potestate exitiosa STRYCHNIAE ipsius propria donantur.

STRYCHNIA *alcohole* dissoluta, salibus metallorum adjecta, *oxyda* dejicit.

Hoc venenum vix minus exitiabile quam *acidum hydrocyanicum* MAGENDIO videtur; data enim pars octava grani canem occidit. Duplici modo nocet: medullam *spinalem* ita laedit, ut inde *tetanus* gignatur; partim nervis partis, cui admovetur, afficiendis, partim sanguinem circumeuntem adeundo.

CCCXLII. DE COCCULO INDICO.

Fructus, cui nomen COCCULUS INDICUS, ad plantam MENISPERMUM COCCULUS dictam pertinet. Haec vero per multas Indiae Orientalis partes inculta sua sponte viget. Aborigines fructu, id est, baccis, uti solent, ad pisces occidendos: quem in finem eas in stagna aut lacus piscibus opima conjiciunt. Nec animalia aquatica sola, verum etiam, quadrupedes et homo ipse, hoc veneno largius aut

intempestive sumpto, pereunt. GOUPITUS, medicus Gallicus, quaedam notatu dignissima de hoc fructu edidit: contendit succum ventriculi aliosque humores corporis vivi parum aut nihil hoc venenum mutare; sicut carnes eorum animantium, quae enecuerit, ab homine aliove animali voratae, eadem venenandi facultate praeditae sint, qua *Cocculus Indicus* ipse.

Chemici experimentis institutis principium *alcaloideum* ex hoc fructu extraxerunt: quod, prae amaritudine quaesitissima PICROTOXIAM, nominant; qua unica venenandi potestas COCCULI INDICI propria ORFILAE inniti videtur.

PICROTOXIA hisce baccis diripitur, iisdem ex aqua mera decoquendis; deinde liquori percolato *acetate plumbi* adjecto: quod sequitur ut natura concreta dejiciatur. Si liquori supernatanti calore diuturno saturiori facto *alcohol* affunditur, solvitur PICROTOXIA; quae, humore in vaporem converso, sua sponte demittitur.

PICROTOXIA chrystallos exhibet pellucidas, candidas et *prismaticas*. Aquae frigidae et purissimae grana XXV uni grano ejusdem solvendo paria sunt; *alcoholis* grana tria idem moliri possunt: grana quinque *aetheris sulphurici* granis duobus PICROTOXIAE liquandis sunt habilia. Si *acidum nitricum* PICROTOXIAE accedit, ob elementa ultima exinde forma nova instructa, gignitur *acidum oxalicum*.

Sulphas, nitras, murias, atque *acetas picro-*

toxiae confici possunt; dotibusque salium mediorum omnium communibus pollent.

Jam notavi COCCULUM INDICUM ingurgitatum miro modo genus nervosum ciere; scilicet, hominem ebrium reddere; perinde quasi ALCOHOL aut vinum ingesserat: cujus rei memores, cerevisiarum coctores, justo, eheu, saepius! istis baccis infusis, facultate venenifera eas imbuere consuerunt.

Uti alia venena istiusmodi, PICROTOXIA ratione duplici nocet: non solum nervis partis, quam ingesta vel admota tangit, commovendis; verum etiam humoribus circumeuntibus adeundis.

CCCXLIII. DE AGARICIS.

AGARICUS omnibus notissimus est: ad CLASSEM LINNAEANAM CRYPTOGAMIA, ORDINEMque FUNGI, pertinet: succus ejus vernacule "*ketchup*" nominatur. Lugendum est autem duas saltem VARIETATES AGARICI CAMPESTRIS ubique existere; unum scilicet esse salutarem, usuique domestico aptissimum; alterum venenare posse. Id genus, quod salutare est, hisce notis ab altero dignosci potest. AGARICUS salutaris figuram rotundam sibi praefert, atque candet; quod si ejus laminae invicem dissociantur, uniuscujusque facies interior livida esse conspicitur; postea, adaugescens nigrescere coepit. Neque ignoro complures AGARICOS impune ingurgitari; quorum exemplis sint AGARICUS CAESAREUS, atque OREADES. VITHERINGIUS AGARICUM DELICIOSUM CLAUDIO

CAESARI exitiabilem fuisse putat; quem tamen innocuum esse satis constat.

Confiteri equidem oportet, id genus AGARICI, quod indies ingurgitare solemus, nil nocere; neque ullam soli, coeli aut loci proprietatem eidem venenandi facultatem tribuere. Non dubitari potest, quin AGARICUS SEMIGLOBATUS nocentissimus sit. Quamvis tamen antiqui et recentiores summa cura SPECIES AGARICI esculentas a perniciosis dignoscere nixi sunt; hoc argumentum adhuc caligine haud levi velatur. AGARICUM venenandi esse potentem jure suspicamur, si in agro uliginoso viget; si facies ei lurida et humida contingit: si color ejus contriti cito mutatur; si fabrica ejus mollior est, sive odore injucundo nares offendit.

CCCXLIV. DE SIGNIS, QUAE AGARICIS PERNICIOSIS INGESTIS NASCUNTUR.

Agaricus immodice voratus plures notarum, quibus ebrietas continetur, arcessit; quales sunt, mens laeta, imaginibusque inter se omnino alienis perturbata, atque confusa; risus vehementior, vertigo, aut stupor, nausea, atque oculi aequo rubriores, pulsusque arteriarum pleniores et crebriores: quibus serius ocyus accessura vomitus, tormina, alvi fluxus, stupor, animae defectio, distentiones nervorum, pupillaeque haud luce coarctanda, mortem ipsam ferunt. Priusquam homo animam extremam duxerit, vires admodum dilabi solent: spiritus trahitur et emittitur ci-

tius et languidius, quam fert natura; arteriae tam exiliter et crebro saliunt, ut quoties LX^MA quaque horae parte moveantur, dictu sit difficile: pedes et manus inter haec frigent, extenuantur et livent. Interdum homo simul pene soporatus, manibus admotis ventrem, praecordia, aliamve partem tangit, perinde quasi dolorem pateretur; neque vero non, momentum temporis, incitamentis illatis suscitari potest.

Denique, uti paucis absolvam, AGARICI perniciosi haud parum *alcohol*, atque alia ebrietati movendae accommodata, quod ad eorum actionem, referunt.

CCCXLV. DE NOTIS, CADAVERE SECTO, INVENTIS.

Quos hoc venenum enecuit, iis post mortem cutis summa maculis violaceis ubique foedatur. Venter perquam intumescit: oculi praeter naturam rubescunt, venis membranae *adnatae* sanguine refertis: membrana ventriculi atque intestini intima inflammationis, et aliquando gangraenae praegressae, vestigia ostendit. Subinde intestinum hic illic aequo angustius reperitur, haud secus atque *colica* absumptis. Pulmonis vasa ultra consuetudinem sanguine subatro turgere solent. Siquidem AGARICI omnes ex facili atque celeriter a succo ventriculi liquantur, ideoque cito absorpti sanguine circumfluente miscentur: medico nunquam licet hoc venenum, introspecto cadavere, deprehendere. *Chemia* nulla adhuc

luce ejusdem naturam illustravit. Neque sane id mirari oportet; siquidem elementa perpauca res omnes terra natas constituunt. Quod ad laedendi rationem, sine dubio agaricus absorbetur, ad humores circumeuntes defertur; iisdemque immixtus generi nervoso perniciosus fit.

CCCXLVI. DE ALCOHOLE.

ALCOHOL est liquor ille subtilis, levis, pellucidus, atque inflammandus, qui vino aut cerevisia, aliove succo ebrietatis moliendae potenti, calefacto, in sublime fertur. Perraro purum, id est, aquae prorsus expers, praeparatur; frequenter porro alienis quibusdam miscetur, praesertim, oleis volatilibus, aliisve naturis *aromaticis*. Oleo baccarum *Juniperi communis* imbutum, SPIRITUS BATAVICUS (vernacule, GIN) vocatur; a vinis Gallicis extractum, Anglice, BRANDY; ab *Arundine saccharifera*, apud Indos Occidentales, deductum, Anglice, RUM, nominatur. Raro equidem sincerum, id est, omnibus alienis vacuum, praeparari potest.

BRANDIUS aliique nuperi experimentis institutis monstrasse videntur, ALCOHOL ipsum liquoribus fermentatis ebrietatis movendae potentibus haud inesse; at inter destillandum fieri. Siquidem, *potassae* ministerio, quantum *alcoholis* prius adjectum fuerit, id sejungi possit; amplius autem, non nisi calore admoto, disjungendum sit. Hanc quaestionem altius agitare non opus est.

ALCOHOL est liquor pellucidus, tanto aqua levior,

quanto numerus XLI minor est quam L. Si aqua miscetur, tepor evidens nascitur, mole simul imminuta. *Alcohol resinis* omnibus liquandis habile est: haud secus atque caeterae rerum, quas plantae praebent, ex *carbonio, hydrogenio,* et *oxygenio* constat: si enim comburitur, in *acidum carbonicum* et aquam illico convertitur.

CCCXLVII. DE SIGNIS ALCOHOLE LARGIUS INGESTO ORIUNDIS.

Quum omnes liquores meraci, id est, qui homines ebrios reddere possunt, ALCOHOLE, certeve natura ei simillima, inquinantur: manifestum est, eorum omnium cum ALCOHOLE commune esse, eadem fere progignere mala; dummodo satis ample bibantur. Nemo sane ignorat ebrietatem inde oriri; cujus signa, omnibus notissima, longo sermone describere non opus est. Quod si quis de re familiari desperans, aliave de causa mentem vehementer turbatus, molem inhaurit ingentem, scilicet, partem librae dimidiam, libram, ampliusve; is, veluti fulmine percussus, subito fere concidit soporatus; nimirum, in *Apoplexiam* fere lethalem labitur. Quidam derepente moriuntur, quasi *acido hydrocyanico* occisi.

Si homo notis *apoplexiae* opprimitur, anhelitus *alcohol* olere solitus satis causam indicabit.

CCCXLVIII. DE SIGNIS CADAVERE PATEFACTO INVENTIS.

Cadavere patefacto, cerebrum eadem pene vitia ostendit, quae *apoplexia* praegressa nascuntur; scilicet, vasa praeter modum distenta, et interdum, serum, aut cruorem, intus fusum. Potissimum autem, memoria dignum existimo, laticem, qui membranas *serosas* humectat, *alcohole* imbutum reperiri; dummodo infelix ejusdem copiam permagnam voraverit.

CCCXLIX. DE LAEDENDI RATIONE.

Alcohol duplici ratione, haud aliter atque plura alia venena, vitam extinguit. Si moles ejusdem ingens necem repentinam alicui adsciscit; manifestum est, ventriculi nervos initio, deinde genus nervosum universum obrui; omnesque actiones vitae flammae alendae necessarias ita subito extingui.

Si vero *alcoholis* minus aliquanto conceditur, quam quod hominem cita morte multare possit; non solum generi nervoso ratione antea dicta, levius profecto, nocet; verum etiam, a venis absorptum sanguini circumeunti immiscetur; atque per eum cerebro, medullae *spinali*, cordi, aliisque partium interiorum, perniciem affert. Hoc docent latices secreti, cadavere patefacto, *alcohole* subinde inquinati. Parisius (vide Paris et Fontblanque, Med. Pol. et Jurisprud. vol. ii. p. 438) hujusce rei ex-

emplum perinsigne edidit: quendam scilicet enarrat, epotis libris duabus *alcoholis* olei *Juniperi* communis imbutis, obiisse; cui ventriculi cerebri *laterales* sero isto liquore infecto scatuerint. Non quod atria cerebri unica potu absorpto inquinantur; quicquid enim absorptum sanguine miscetur, id totum corpus aequaliter subeat necesse est: de cerebro igitur PARISIUS hanc rem praedicat, eo quod *alcohol* hujus potius quam aliorum viscerum actionem turbat; ideoque, cadavere patefacto, cerebrum prae aliis partibus, introspici consuevit.

CCCL. DE REMEDIIS UTENDIS.

Si quis animum graviter perturbatus libram, duas libras aut amplius *alcoholis* ingurgitat, non nisi, ventriculo instrumenti ope, cui nomen "Stomach-pump," tempestive depleto, salvus fieri poterit: medicamina enim vomitui movendo apta perperam dantur; siquidem fibrae ventriculi torpent.

Si vero modus amplus, at non tantus ut hominem ex improviso obruat, notas *apoplexiae* arcessit, remedia pro corporis indole, habitu et aetate quodammodo differunt. Si aegro specioso, sanguine pleno, vultus rubet et turget, oculi corusci nitent, caput dolet, aures sonant, arteriaeque concitantur; quamprimum sanguinem, secta vena brachii aut vena *jugulari* aut arteria *temporali*, elicere decebit: deinde, capitis venis ita depletis, vomitum *sulphate zinci* aut cupri ciere oportebit. Si vultus pallet,

(id quod interdum accidit), ventriculum vacuefacere satis erit. Caput erigendum est; vestimenta arcta, vel monilia (muliere affecta), cervici subducenda sunt. Caput aqua frigida *aceto* mista lavare proderit; praesertim si facies rubescit et tumet. Denique, si, hisce auxiliis medicinae parum valentibus, homo soporatus jacere perstat, instrumenta spiritui dicata incitare opus erit, *ammonia* naribus admota, scintillis *electricis* e praecordiis elicitis, atque calefacientibus ventriculo adhibitis.

CCCLI. DE VENENIS, QUAE ANIMALIA PRAEBENT.

Venenorum ex animalibus deductorum *chemia* naturam nondum clare patefacit: non solum enim aegre obtinentur; verum etiam probabile est ea omnia ex iisdem elementis ultimis constare. De his, uti de venenis quae plantae continent, praedicari potest, ea arte *chemica* in principia ultima resolvi posse; minime vero, iisdem principiis inter se consociatis fieri posse.

Inter haec venena praecipue numeranda sunt, ea quae colubri morsu afferunt, ea quae vespae et apes per aculeos afferunt, res variae putrescentes, necnon venena piscibus quibusdam inhaerentia.

CCCLII. DE VENENO COLUBRI.

Colubrorum SPECIES viginti quatuor venenandi facultate praeditae esse feruntur. Gentes barbarae et quae terras accolunt circulo aequinoctiali propinquas, iisdem potissimum infestari solent. Europae non nisi quinque contingunt; scilicet, COLUBER ASPIS, COLUBER CHERSEA, COLUBER PRESTER, COLUBER ILLYRICUS, atque COLUBER BERUS.

Horum omnium commune est, duas capsulas maxillae superiori subjectas, unam nempe utrinque sitam, veneno plenas esse; glandes duas oculis proximas id secernere; binosque canales humorem istum pestilentem ad capsulas jam relatas deferre: quinetiam, maxillae superiori contingere binos dentes praeacutos et cavos, canaliculorum ope cum capsulis veneno repletis commissos. Hacce igitur ratione venenum istud lethale corpori humano inditur. Coluber mordendi cupidus, musculis maxillarum motoribus se contrahentibus, dentes antea dictos cuti carnique infigit: musculis simul molientibus, quorum est capsulas tabo refertas premere, venenum illico per dentes cavos ad partem sauciatam transfertur; neque ratione huic absimili, apes atque vespae venenis propriis hominem inquinant. Hinc manifestum est, foraminibus dentium cera aliave re istiusmodi obcoecatis, colubrum citra perniciem aliquem mordere.

CCCLIII. DE MALIS, QUAE COLUBER MORDENDO AFFERT.

Quem coluber momorderit, ei paulo postea pars sauciata tumet et rubet; at denuo purpurascit; livor cito latissime patet, siquidem *cutis vera* inflammatur. Homo aegre, justo crebrius et citra normam spiritum trahit et emittit; arteriae exiliter, aequo frequentius, nec paribus intervallis, saliunt. Vires admodum dilabuntur; eo ut anima interdum deficiat. Vomitus saepe torquet: dolor circa ventriculum urget; aut frequentius umbilico, partibusque vicinis, insidet. Huc accedit, cutem summam aurescere, uti *Ictero* praesente. Hoc signum veneno absorpto, humoribusque circumfluentibus immisto, sanguinique ipsi dehinc mutato, deberi videtur: res est enim notissima plures causas, praeter sanguinem circumfluum felle imbutum, cutem summam rutilare posse. Modo pars demorsa lurida facta ad gangraenam praeceps tendit.

CCCLIV. DE LAEDENDI RATIONE.

Quomodo venenum colubri proprium noceat, cognitu haud est difficile. Satis innotuit idem voratum prorsus innocuum esse: id quod genus humanum ab antiquissimis temporibus novisse videtur. Saepe numero enim hominis demorsi amicus vel uxor, venenum labiis vulneri impositis, impune exuxit. Jamdiu medici cognoverunt hoc venenum nil lae-

dere, nisi vulnus vasa sanguinea violaverit; id est venas idem absorbere. Multa sane experimenta a MAJENDIO et aliis instituta venarum esse, non vasorum *lymphaticorum*, omnia fere corpori humano admota absorbere docent. Quod ad venenum colubri, omnia signa supra dicta satis idem cum sanguine misceri arguunt; praesertim, cutis colore croceo tincta, actiones vitales valde turbatae, et vires fractae. De natura *chemica* veneni colubrorum nihil pro comperto habemus.

CCCLV. DE REMEDIIS UTENDIS.

Jam retuli alicui venenum colubri morsu illatum impune exsugere licere. Cum autem perpauci officio tam ingrato perfungi volunt; longius satius est venenum cucurbitulae ope cruentae extrahere; quod si tempestive fiat, nullo alio auxilii genere opus erit.

CCCLVI. QUAEDAM DE VENENIS VESPARUM APIUMQUE PROPRIIS.

Tres vesparum SPECIES numerantur, quae aculeorum ministerio vulnerare, partique sauciatae venena subtilia et acria indere possunt; unde gravis inflammatio, et subinde ipsi vitae perniciosa, accenditur. Hae vero sunt VESPA CRABRO, vernacule HORNET, VESPA VULGARIS, et VESPA COARCTATA.

Apium SPECIES plures agnoscuntur; quarum no-

tissimae sunt, APIS RUFA, APIS MELLIFICA, APIS TERRESTRIS atque APIS SUBTERRANEA.

Apium cum vespis commune est aculeo praeacuto vagina incluso instrui. Aculeo projecto, summa cutis violatur: eodem deinde subducto, per vaginam sive canalem venenum infunditur. Nec desunt alia insecta venenis praedita: quae tamen hic loci vix meminisse opus est.

CCCLVII. DE VENENANDI POTESTATE, QUA CARNES PUTRIDAE, &c. PRAEDITAE SUNT.

Omnes *anatomes* periti intelligunt, venenum sui generis maxime exitiabile cadaveribus jam putribus inesse, necnon a putredine nasci: siquidem haud raro mors ipsa citra quamvis aliam causam evidentem medico accedit, cui, inter cadaver secandum atque introspiciendum, cutis summa eo ipso scalpello, qui cadaver patefecerit, fortuito violatur. Vix dubitare licet, quin tabum exitiosum putredine exortum, corporique vivo admotum, causa sit mortis genitrix; etiamsi quid aut quale id sit, quave ratione vitae flammam extinguat, nesciamus. Illud vero convenit, eos quibus contingit malus habitus corporis roburve senio aliundeve conquassatum, prae aliis, hac noxa illata, laedi; juventa scilicet viribusque florentes longe saepissime, eidem objectos, superesse integros.

Quinetiam, auctores fide summa dignandi contendunt, cibos e carnibus aliisve corporum animalium

partibus confectos, modo jam putres ingurgitentur, interdum venenandi esse potentes. Cum hoc argumentum caligine haud levi versatur, aliquanto fusius idem inquirere in animo est. Cibos putres certeve ad putredinem proclives haud semper exitiosos esse, satis demonstrant carnes ferinae postea comedi solitae quam putredo inceperit. Multi contra usu compererunt, ova, pisces, et quasdam carnes jam putredine corruptas veneno exitiabili imbui. CRANTZIUS, apud Historiam Terrae Septentrionalis, Anglice "Greenland" dictae, meminit, triginta et duos homines, cerebro VALRI putri ingurgitato periisse. Alia exempla istiusmodi citare licet; at vix opus est.

Carnibus putribus aliquamdiu vesci, frugibus simul denegatis, valetudini perquam nocere, medicis jam diu innotuit; *scorbutus* enim, morbus dirissimus, inde accenditur. Duo porro ex venenis potentissimis, scilicet, *cyanogenum* et *acidum hydrocyanicum* ex iisdem elementis ultimis, *oxygenio* sane excepto, constant, ex quibus carnes omnes; nimirum, *carbonio*, *nitrogenio* et *hydrogenio*. Quum igitur carnes putres proculdubio interdum vitae exitiosae sunt; nonne conjicere licet, aut *cyanogenum* aut *acidum hydrocyanicum*, aut quodvis aliud venenum ex iisdem elementis confectum, sua sponte quasi in carnibus istiusmodi progigni, eo quod earum ultima elementa novas sibi formas induunt? Hoc profecto eo mihi verisimilius esse videtur, quod *acidum hydrocyanicum*, quamvis nullis animalium partibus inest, ab earum quibusdam tamen progig-

ni potest. *Chemici* noverunt *ferro-hydrocyanas (ferro-borussias) potassae* e sanguine e *subcarbonate potassae* inter se commistis, et dein igni subjectis, procreari: non quod sanguis id *acidum*, sed quod ejusdem principia ultima continet; ex quibus rite coeuntibus hoc *acidum* fit. Quinetiam, suspicari licet, partes quasdam animalium, praesertim, cerebrum atque exta, interdum veneno sui generis sua sponte facto inquinata fieri; quod neque putredine, neque morbis praegressis, nascitur. KERNEROS medicus VURTEMBERGENSIS contendit, farcimina, id est, carnes extis inclusas, qualia, Anglice, "Smoked sausages" vocantur, quibus Germani vesci solent, persaepe exitiosa fieri. Memorat septuaginta et sex homines, ingestis istis farciminibus, aegrotasse; eorumque triginta et septem succubuisse. Haec farcimina modo carnes, modo cerebrum, modo pulmonem aut jecur, bubula vel porcina, continent: quae vero ex jecinore constant, prae caeteris venenando apta esse feruntur. Quid tamen aut quale sit venenum, medici nondum detegere potuerunt. Farciminibus ab CADETO, *chemico* Parisiensi introspectis, nihil exitiabile prodiit: neque ullum venenum arte *chemica* deprehendendum, mortuorum corporibus scalpello patefactis, reperiri potuit. Haud veri est absimile, exta, id est, intestina quibus carnes includuntur, potius quam carnes ipsas veneni esse sedem: siquidem feles, canes, aves atque porci, piscium extis voratis, saepe pereunt; etsi homines eorundem piscium carnes impune ingesserunt.

Ejusdem animalis alias partes nocivas esse, alias

salutares, usus monstravit. SCORESBIUS (vide SCORESBY's "Account of the Arctic Regions") notat carnem ursinam impune comedi; jecur contra ursinum perniciosum esse.

BRODIUS porro, qui tanta luce omnia pene venena illustravit, affirmat bis sibi contigisse, cibum caninum, qualis Londini venire solet, Angliceque "*Dog's meat*" vocatur, venenandi potentem esse comperire; interdum scilicet hujus escae venditores, dummodo summa cutis violetur, manuum ulceribus sui similibus, glandibusque axillae tumefactis et dolentibus, laborare. Huc accedit, carnes animalium morbis quibusdam absumptorum vel ingestas, vel alia ratione vivis corporibus adhibitas, eos morbos renovasse. Anno MDCCCXIX, in agro SOMERSETSIANO, vacca morbo quodam absumpta in fluvium conjecta, aliae vaccae, iis aquis epotis, in eundem morbum incidere. Sermonem permultis exemplis producere, vix opus est. Duo unica citabo, (vide PARIS et FONTBLANQUE, Med. Pol. et Jurisprud. vol. ii. p. 448.) Bove morbo absumpto, quidam puer, inter pellem subducendam, scalpello, quo utebatur, linguam suam fortuito tetigit: pauloque postea summa cutis universa pustulis efflorescere coepit; brevique mors accessit. Si virus equinum morbo, cui nomen "Glanders" exortum, corpori humano fortuito inseritur; morbus pessimi generis accenditur, lethalis futurus.

Denique, uti paucis absolvam, constat ex jam relatis, imprimis,

I. Virus proprium cadaveribus putribus, praeser-

tim humanis inhaerere, quod corpori vivo insitum (quod interdum medico accidit, inter cadaver secandum) morbum gravem et subinde lethalem, ciet:

II. Cibos quosdam putres voratos venenare posse:

III. Quasdam animalium partes, citra putredinem, venenandi facultate praeditas esse; potissimum exta atque jecur:

IV. Morbos varios, quibus animalia enecantur, venena intra horum corpora parire; quae corporibus vivis, sive humanis, sive belluinis, insita vel admota, eosdem morbos renovare possunt.

CCCLVIII. DE PISCIBUS VENENANDO APTIS.

Quam plurimos, MYTILO EDULI aliisque CONCHYLIIS ingestis, signis gravissimis et aliquando lethalibus opprimi, notissimum est. De hujus rei causa parum inter medicos convenit. Alii venenum sui simile hos edere effectus contendunt: alii contra eosdem corporum proprietatibus tribuunt: affirmant scilicet eadem ipsa conchylia, quae multis innocua sunt, aliis, ob corporis indolem propriam, nocere. Multa ex utraque parte praedicari possunt. Nonnullos tamen pisces venena propria habere, probabile est: eo quod omnes fere, qui eos comedunt, signis malis implicant. Non sane inficiandum est, quin aliqua conchyliorum venenis vacua sint; siquidem plerique impune iis vescuntur; et perpauci solummodo exinde valetudinem perturbantur.

Quae vero piscium genera, venenare possint, quae tuta sint, vix pro comperto habetur, eademque ipsa genera, quae in aquis quibusdam inventa impune vorantur, in aliis locis exitiosa esse feruntur. Ex omnibus piscibus venenandi potentibus, longe nocentissimus est CLUPEA THRYSSA, Anglice "*Yellow-billed sprat.*" ORFILA memorat venenum tam funestum huic pisci inesse, ut interdum mors, inter eum ingerendum, accesserit.

CCCLIX. DE SIGNIS, QUAE PISCIBUS EXITIOSIS VORATIS ENASCUNTUR.

Ingestis piscibus venenando aptis, enascuntur nausea, vomitus, sitis, dolor abdominis, tormina, et aliae valetudinis turbatae notae. Cutis rubore, proprio *urticariae* simili, efflorescit: vultus simul turget et rubet: capitis dolor torquet: spirandi difficultas vexat: abdomen intentum intumescit. Interdum, alvi fluxus et vomitus concurrunt, sicut homo *cholera* laborare videatur. Demum cerebri actiones labuntur; vertigo et delirium invadunt: cutis sudore gelido madet: membra convelluntur; et demum homo succumbit.

Haec signa non omnia omnibus contingunt; sed eorum plura vel pauciora, pro ratione aetatis, valetudinis et corporis habitus; necnon, pro genere piscis vorati.

Prae aliis piscibus, MYTILUS EDULIS saepissime nostratibus infestus est. Multa exempla mortis hoc

veneno exortae literis mandantur. Fatum antecedere solent, facies atque artus torpidi, vertigo, nausea et vomitus.

CCCLX. DE NATURA ET ORIGINE VENENI PISCIUM PROPRII.

Aliter alii de sede et natura hujus veneni sentiunt: aliis cutis piscium, aliis meatus alimenti, aliis jecur aut vesicula fellis, aliis piscis universa, veneno imbui videtur. Quidam venenum e cibo piscis proprio deduci contendunt: nonnulli denique venenum haud natura piscibus inhaerescere; sed morbo quodam progigni, credunt. Quarum opinionum singulas quam brevissime inquiram.

Nulla documenta, quantum scio, venenum cuti potissimum insidere ostendunt: multa autem docere videntur, totum piscem, at praesertim jecur, exta, cerebrum atque *branchias*, partes nimirum vernacule "Offals" dictas, eo inquinari. Iis assentiri nequeo, quibus non piscis ipse per se venenare posse; sed venenandi potestatem, ob escam perniciosam, qua vescitur, adipisci, videtur. Hi scilicet MYTILUM EDULEM exitiosum, ob cuprum, quo subinde imbuitur, fieri contendunt. Alii credunt ova insecti, cui nomen STELLA MARINA, persaepe equidem MYTILO inclusa, eum venenando idoneum reddere. Probabilius esse existimo, hoc genus conchyliorum jam recens salutare esse; atque, si quo veneno unquam imbuatur, id postea sua sponte nasci, ultimis principiis novam sibi formam praeferenti-

bus; id quod nemo *chemiae* scientior mirari potest. Supra memoravi eadem principia, quae *morphiam*, *strychniam*, &c. constituunt, cibis quoque alentissimis, maximeque salutaribus, subesse. Ea ipsa elementa, ex quibus aër circumfluus, cujus ministerio spiramus et vivimus, conficitur, arte *chemica* inter se consociata in *acidum nitricum*, rem acerrimam, venenumque luctuosissimum, dummodo meracum ingeratur, converti possunt.

Satis patet, in animo habitis supra memoratis, tenebras haud leves hucusque non solum argumentum, quod nunc prosequor; verum etiam omnium venenorum animantibus deductorum naturam, obcoecare. Siquidem nuperi, *chemia* duce et auspice, cuique plantae exitiabili suum principium perniciosum, omnium ejus virium radicem et fontem, contingere monstraverint: nonne conjicere licet, principia istiusmodi ad animalia quoque venenando habilia pertinere; quaedam ex iis naturam ipsam insevisse; veluti succos apium, vesparum, formicarum, colubri, et qui sunt hujusmodi, subtiles; valetudinem adversam alia procreare; qualia sunt virus salivae canis rabidi proprium; alia denique in animalibus mortuis sua sponte nasci, aut putretudine, aut aliis causis adhuc minus perspectis huc operam conferentibus. Hoc argumentum campo patentissimo est, posteris indagando; atque dignissimo. Si enim futurorum sit, haec subtilia venena colligere, et cognoscere posse; sperare licet, quaedam mala nunc obscura, et non medicabilia, tandem aliquando arti medicae cessura.

CCCLXI. DE VENENIS AËRIIS, SIVE PER AËRA VOLITANTIBUS.

Aër circumfluus fumis vaporibusque variis venenando aptis subinde inquinatur: qua re perspecta, satis admirari non possumus, quanta arte cutem summam humanam Artifex Divinus extruxit. Cuticula sive *epidermis* arteriis venis et nervis vacat; ideoque vi sentiendi sua-ve sponte res exteras absorbendi non praedita est; quo fit ut fumos aut vapores nocivos cutis inhaurire nequeat: multa enim experimenta edocuerunt, membranas vasis nervisque instructas unicas absorbere posse; et quamque tanto facilius atque citius hoc munere perfungi, quanto magis arteriis, venis et nervis abundet. Quo fit ut membranis *serosis* facultas absorbendi perinsignis contingat.

Judicare igitur licet, venena, de quibus dicturus sum, aut animae fistulas subire, et exinde absorpta humores circumeuntes polluere; aut nervis sedandis valetudini nocere.

De aëribus *asphyxiae* movendae habilibus, haud consilium est agere: quippe qui, aëre circumfluo excludendo, eam progignere videntur. Haud sane ignoro, quaedam eorum animae canales adire, quoties animal vivum iis includitur, veluti *hydrogenium* et *nitrogenium*: alia introire non posse; eo quod

simul atque summam *laryngem* attingant, extemplo musculos *arytenoideos spasmo* torqueant; veluti, *acidum carbonicum.* Quum vero omnium commune est, eadem inferre mala; id est, *asphyxiam* parire: judicare licet, omnia, aëre circumfluo denegando, non actione sua cujusque propria, spiritum includere.

Quae venena jure aëria vocentur, statuere paulo difficilius est: res enim plurimae, non solum ex effossis deductae, verum etiam animalibus aut plantis oriundae, concretae, liquidae vel aëriae sunt, prout plus minusve calefiant. Nihil fere non, calore idoneo admoto, in sublime ferri potest; id quod satis edocent ferrum, *adamas*, et quaedam istiusmodi, arte *chemica* in vaporem convertenda. Ea unice venena aëria nominare in animo est, quae, instrumento Fahrenheitano aëris circumflui temperiem gradu LX^mo^ insigniente, per eundem volitare possunt.

Nonnulli venena aëria in duo genera diducunt; ea quae aëri circumfluo quasi innatant; atque ea quae vaporis sive *gasis* formam sibi induunt.

CCCLXII. DE VENENIS AËRI QUASI INNATANTIBUS.

Diu innotuit artifices multos pulmonis quibusdam morbis, maximeque *asthmate* et *phthisi pulmonali*, opportunos esse; eo quod aërem particulis asperis vel acribus onustum in fistulas spiritales accipiunt. Hujusmodi sunt pileorum opifices, lapicidae, quive frumentum aut quodvis aliud molere solent.

Nescio sane istaene particulae recte venena vocentur: nec simul dubitari potest, quin gravi sint irritamento spirandi instrumentis; nec non persaepe morbos exitiosos et lethales afferant.

CCCLXIII. DE VI EXITIOSA HYDRARGYRI IN VAPOREM CONVERSI.

Quamvis HYDRARGYRUS merus et liquidus innocuus sit, id quod ei cum aliis quibusdam metallis commune est, in vaporem versus veneno fieri potest luctuosissimo. Nec solummodo calefactus in sublime fertur; verum etiam aëri objectus, instrumento Fahrenheitano gradum circiter LX^{mum} aut LXX^{mum} insigniente, sua sponte et celeriter in vaporem convertitur; qui fistulas spiritales adit; et exinde humoribus circumeuntibus mistus, eadem mala parire potest, quae medicamentis ex HYDRARGYRO praeparatis in ventriculum acceptis enascuntur. Hinc satis patet, cur opifices inaurandi, aut specula fabricandi periti, artiumve aliarum experti, quae argentum vivum adhiberi desiderant, persaepe malis hujus veneni sumpti propriis implicentur. Quoniam sane experimentis constat, hoc metallum sua sponte in sublime ferri, citra calorem admotum; admirari non licet, pessima, quae hoc metallo enasci solent, interdum opificibus, qui ei interesse consuerunt, contingere.

Haec vero mala eodem in vaporem verso exoriri solent. Siquis eidem objicitur, annulo vel horario aureo instructus, hoc vel ille ex flavo protinus albes-

cit: quod si nummos secum ferat argenteos, hi nigricant. Homo ipse languet animo et corpore, os saliva scatet: anhelitus graveolet: gingivae mollescunt, teneraeque fiunt: dentes aliquando soluti excidunt. Alvus fusior fit: cutis saepe sudore copioso diffluit. Si cui habitus corporis malus contingat, atque hic vapor luctuosus meracior atque diutius eum subierit; notae pejores supervenire possunt; labia scilicet, lingua, genae, aliaeque partes membranis mucosis obtectae, interdum gangraena et sphacelo diruuntur. Si aeger, inter edendum, cochleare argenteum ori admovet, extemplo hoc obfuscatur vel nigricat: assidue porro homo saporem ingratum queritur; quem cupreum vocat: siquidem hoc venenum absorptum eodem sapore os offendit, quo cuprum, atque multa ex eo praeparata. Praeter haec, alvi fluxus crudelis, tormina acerba, tremor, et saepe *paralysis*, accedunt; nique ars medicinalis tempestive et acriter renitatur, in exitum lethalem abeunt.

CCCLXIV. DE REMEDIIS UTENDIS.

Si quis malis jam descriptis laborat, quam primum vaporibus istis nocivis subducendus est: coelo puro eum circumdari oportet: dein sulphur *sublimatum* aut *praecipitatum*, aut *sulphuretum potassae* ingerendum. Hoc medicamentum plurimum juvat; eo quod cum argento vivo, ubique corporis sociatum, ejusdem vires obtundit vel delet. Nec alia sane ratione sulphur iis succurrit, quos alia me-

talla tremoribus plexuerint: id quod notissimum est. Quinetiam, *acidum nitricum* atque lignum *Guaiaci officinalis* summo fructu interdum conceduntur.

CCCLXV. QUAEDAM DE GASI HYDROGENIO SULPHURATO.

Gas hydrogenium sulphuratum praeparari solet, ex quovis *sulphureto, acido sulphurico* aut *muriatico,* atque aqua, inter se mistis. Quomodocunque sane fiat, nunquam non ex aquae elementis invicem ope sulphuris dissociatis, conficitur. Hoc *gas,* plurium instar, oculorum aciem latet, nares odore foetidissimo offendit; igne admoto, flammam edit subcoeruleam: unde aqua gignitur, et sulphur demittitur. Dotibus pene omnibus *acidorum* propriis donatur: nimirum, succos plantarum coeruleos rubefacit; necnon cum *alcalibus,* terris atque *oxydis* metallorum, consociari potest. Potius, ni fallor, *acidum hydrosulphureum* nominatur, quam *gas hydrogenium sulphuratum.* Quocunque vero nomine designetur, id iis vocibus, *osum* vel *icum,* finiri non oportet; siquidem *oxygenium* huic *acido* deest. Si hoc *gas* cum *chlorino* miscetur, utrumque evanescit: *acidum*que *muriaticum* atque sulphur prodeunt. Si *gas,* de quo agimus, et *acidum sulphurosum* invicem miscentur, in aquam et sulphur vertuntur. Hoc vero potissimum meminisse oportet de *gasi hydrogenio sulphurato;* omnes pene sales metallinos, aqua ejus saturiori adjecta,

resolvi, metallorum *sulphuretis* demissis. Quo exemplo utar, si aqua *hydrogenio sulphurato* infecta *acetati plumbo* dissoluto affunditur; proximum est, ut, *acetate potassae* facto et supernatante, *sulphuretum plumbi* praeceps decidat: simul atque enim *gas* propositum et *oxydum* metalli conveniunt; *oxygenio* hujus, et *hydrogenio* illius proprio coëuntibus, fit aqua; sulphure autem et metallo inter se consociatis, *sulphuretum* conficitur.

CCCLXVI. DE SIGNIS HYDROGENIO SULPHURATO CORPORI ADHIBITO EXORTIS.

Gas hydrogenium sulphuratum non solum spiritum intercludere potest (si animal eo circumdatur), aditu aëris circumflui denegando: verum etiam, ita corpori admotum ut respiratio non quiescat, facile et cito humores circumeuntes subit, et exinde generis nervosi sedandi potentissimum est. Raro equidem *chemici* aut medici experimentis institutis vires ejus exitiosas compererunt; quae tamen satis superque aliunde cognosci possunt. Multi, inter cloacas expurgandas, derepente perierunt, animi defectione aliisque virium subito lapsarum notis, unice fatum antecessuris.

Alicui, hoc veneno stupente, optime succurritur, perflatu libero, et remediis refocillando generi nervoso accommodatis: qualia sunt, *ammonia* naribus adhibita, vinum aut spiritus Gallicus ingestus, vel

per fistulam in gulam injectus, dummodo aeger eo usque torpeat, ut vis glutiendi desit: necnon tepidarium. Ictus *electricos* e praecordiis elicere, remediis aliis inutilibus, interdum profuit.

CCCLXVII. DE GASI HYDROGENIO CARBONATO.

Gas hydrogenium carbonatum variis rationibus praeparari potest. Si carboni ligni incandescenti vapor aquae objiciatur, *gas* propositum atque *acidum carbonicum* protinus conficiuntur; eo quod utrumque elementorum aquae cum *carbonio* sociatur. *Acidum carbonicum* ope *potassae* vel calcis, alteri facile diripitur. Gas hydrogenium carbonatum porro ex ligno, oleo, pice, carbone fodinario, et aliis ejusmodi calefactis, parari potest. Quinetiam inter *aethera sulphuricum* conficiendum, in sublime fertur. Hoc *gas* alias aliud est, pro obtinendi ratione: undecunque gignatur, ex *carbonio* et *hydrogenio* constat: quorum tamen modi variant. Id quod, *acido sulphurico* et *alcohole* inter se mistis nascitur, *carbonio* superfluit; ideoque gravius est, flammam clariorem edit, ustumque plus *acidi carbonici* parit.

Undecunque gignatur, his dotibus communibus praeditum est: *acido carbonico* levius, *hydrogenio* gravius est: flammam alienam extinguit; ipsum flammam ex facili concipit: et prae omnibus, inflammatum in *acidum carbonicum* et aquam vertitur: unde potissimum ejus elementa cognoscuntur.

CCCLXVIII. DE MALIS HYDROGENIO CARBONATO IN ANIMAE CANALES ACCEPTO EXORTIS.

Si quis *gas* propositum anhelare nititur, non solum *asphyxia* serius ocyus accedit, aditu ad pulmonem aëri circumfluo denegato; verum etiam id ipsum ad animae meatum delatum plura mala notatu dignissima affert. Vir celeberrimus ONUPHRIUS DAVIUS, Eques, proprio usu doctus (ipse enim ter inter inspirandum idem in cavernas spiritales accepit), signa exinde orta lucide descripsit. Certiores nos facit, sensum torporis pectus universum subito permeare, hoc *gasi* semel inhausto; eodem iterum accepto, rerum omnium exterarum sensum penitus evanescere; eo ut vitae ipsius superstitis non sibi conscius fuisset, nisi gravitas quaedam vix patibilis praecordia oppressisset: quae *gasi* vice tertia in pulmonem sumpto, in animae tantum non ipsam defectionem abiit. Neque vir ille praeclarus statuere dubitat, quin idem periculum quater aut quinquies exactum vitam ipsam extinxisset.

CCCLXIX. DE CHLORINO.

GAS CHLORINUM, olim ACIDUM OXYMURIATICUM dictum, dotibus multis notatu dignissimis praeditum est: colore aureo sive flavo-viridi praeditum est: plantae omnes in id conjectae albescunt; atque omnia colorata, quorum colores e plantis dedu-

cuntur, ob eodem protinus dealbantur. Oleum *terebinthinae*, et multa alia, quae inflammari possunt, in CHLORINUM immissa, sua sponte flammam concipiunt. Si aër circumfluus CHLORINO vel leviter imbuitur, neque homo neque ullum animantium spirantium impune spiritum ibi trahit et emittit: tussis enim molestissima statim vexare coepit, diuque perstat; et membrana canalium spiritalium vehementer inflammatur: unde *phthisis pulmonalis* ipsa homines natura propensos invasit.

Quod si homo vel aliud animal CHLORINUM meracum inhalare nititur, non solum *asphyxia*, denegato aëre, accedit; verum etiam, NYSTENO judice, (Recherches de Physiologie et de Chimie, p. 144, anno MDCCCXII), membranam mucosam tam graviter irritat, ut mortem multo antea afferat, quam *asphyxiam* ipsam. Qui si recte judicaverit, statuere licebit CHLORINUM LARYNGIS musculos *spasmo* quaesitissimo coarctare; omniaque viscera, quae actionibus vitalibus inserviunt, ejusdem *spasmi* cito participes fieri; et exinde mortem esse repentinam.

CCCLXX. DE GASI ACIDO SULPHUROSO.

GAS ACIDUM SULPHUROSUM, vel sulphure combusto, vel ex *acido sulphurico* et metallo citra aquam inter se mixtis, fieri potest. Hoc *gas* aciem oculorum latet; at nares odore acri stimulat: aqua idem ex facili solvit. Rosam rubram omnigenam dealbandi facultate praeditum est. Si animal hoc *gasi* includitur, cito emoritur: sive homo idem cum

spiritu accipit; vita non multo postea extinguitur. Quomodo nocet, parum, uti opinor, constat. Sine dubio *asphyxiam*, aëre excludendo, movet: absorbeatur autem, necne, an facultate irritandi *spasmo* canales spiritales occludat, non pro comperto habemus. PARISIUS equidem credit, at nullis documentis comprobare nititur, hoc *gas* sanguine inquinando necare.

CCCLXXI. DE MIASMATE ATQUE CONTAGIO.

MIASMA halitus est iste pestiferus, quem paludes, lacus, stagna, aut res putres, sive e plantis, sive ex animalibus deductae, spirare solent. Haud equidem vitae extinguendae potens est: neque valetudini non perquam inimicum est; duosque certe morbos graves, nec raro exitiosos, affert: nimirum, *Febrem Intermittentem* atque *Dysenteriam*.

Quid aut quale sit *miasma*, me prorsus ignorare fateor; non solum enim, *gasium* instar, oculos latet, verum etiam alienis omnibus dissociari, merumque colligi nequit: imo vero, non nisi perspectis ejus effectibus, id ipsum existere novisse licet. Quidam sane hanc rem conjectura prosecuti sunt: conjiciunt, nimirum, *miasma* ex tribus aëribus inter se mistis constare; id est, *gasi hydrogenio carbonato, gasi hydrogenio sulphurato*, atque *gasi acido carbonico*. Dubitari sane non potest quin agri palustres, stagna, lacus atque naturae putrescentes, haecce evolvant: sulphure enim atque *carbonio* res

putres abundant: quorum utrumque, *hydrogenio* aquae diripiendo, in duo horum *gasium* vertitur: pars simul *carbonii*, *oxygenio* aquae proprio accepto, in *acidum carbonicum* vertitur. *Miasma* tamen ex istis confici, credere omnino nequeo; siquidem loca alia bene multa paludibus maxime aliena hisce aëribus abundant. Aëres isti fodinas carbonarias polluere soliti, qui tot homines quotannis occidunt, vernaculeque "*fire damp*" atque "*choak damp*" nominantur, sunt *acidum carbonicum* atque *hydrogenium carbonatum*; atque ex *carbonio*, quo hae fodinae superfluunt, utrumque aquae elementorum sibi attrahente, conficiuntur. Neque vero opifices, qui istis fodinis perpetuo fere intersunt, febre intermittente laborare videntur. Quibus omnibus in animo habitis, *miasma* esse venenum sui simile judicare licet: quod ex *hydrogenio*, *carbonio*, et *nitrogenio* fortasse constat.

De Contagio.—Ea voce, CONTAGIUM, alii aliter usi sunt: quidam ad omnia ea taba, sive venena, quae sunt causae morborum pestilentium genitrices, designanda. Ipse vero hac voce uti malo, ad venenum istud aërium indicandum, quo febres continuae nituntur. De hoc vero conscribere perdifficile est; eo quod sensuum aciem latet; necnon, secus atque *gasa*, colligi, alienisve naturis subduci, non potest; at solummodo funestis effectibus, quos edit, cognoscitur.

Hae voces CONTAGIUM satis recte definire vi-

dentur: " Halitus pestiferus a vasis summae cutis aut fistularum spiritalium extimis, quovis *typho* febricitante, excretus; qui a sanis corporibus acceptus ejusdem febris movendae potens est." Cutis, an pulmo hoc tabum excernat, parum equidem constat: hunc tamen potius quam illam, ejus esse fontem, eo conjicio; quod medici aliive sani febrientibus interesse soliti, multo saepius in febrem incidunt, si spiritum ab aegris emissum, nihil perterriti, inhalant, quam si studio summo eundem fugiunt.

Haud ignoro multos *typhum* pestilentem esse, imo vero CONTAGIUM ipsum existere, negare. Controversiam de hac re movere nolo. Illud certe convenit, rationes contagii diruendi, quas medici sequi solent, proculdubio utiles et salutares esse; hoc subtile venenum existat, necne.

Duplici modo CONTAGIUM dispergi potest; modo ab aegrotante ad sanum recta transfertur; alias lanugini, panno laneo, aliisve istiusmodi haeret; et inde corporibus sanis admovetur.

Quo CONTAGIUM diruatur, conclavia, ubi febrientes cubant, perflatum accipere, eorumque parietes calce crebro dealbari oportet. Summa mundities servanda: vaporibusque *acidis* utendum: quales sunt *acidum nitricum*, aut *muriaticum*, aut *aceticum*; *chlorino* uti non licet, quippe quod pulmoni summam perniciem affert. Aëra circumfluum vaporibus suave olentibus imbuere, quales nimirum *camphora*, olea VOLATILIA, et quaedam herbae ex-

halant, inutile et perniciosum existimo : inutile, siquidem nulla CONTAGII diruendi facultate instruuntur : perniciosum, eo quod medicus istis vaporibus lusus, necne conclavia, in quibus aegri decumbunt, perflatum jam idoneum acceperint, olfactu discernere non potest.

INDEX

VENENORUM ET PAGINAE CUJUSQUE PROPRIAE ALPHABETICUS.

	Pag.
Acidum arsenicum, -	204
arsenosum, -	193-4
hydrocyanicum,	307
meconicum, -	297
muriaticum, -	242
nitricum, -	236
oxalicum, -	245
sulphuricum, -	232
sulphurosum, -	358
Aconitum napellus, -	293
Agaricus, - - -	331
Alcalia, - - -	255
Alcohol, - - -	334
Ammonia, - - -	260
Ammoniae subcarbonas,	260
Antimonii tartras, -	215
Apium venenum, -	341
Aqua bulliens, - -	254
Argenti nitras, - -	229
Atropa belladonna, -	322
Atropia, - - -	ib.
Barita, - - -	265
Baritae murias, - -	266
Bichlorides hydrargyri,	206
Calx, - - - -	263
Cantharis vesicatoria, -	278
Carnium putrium venenum proprium, - -	342
Chlorinum, - -	357
Cocculus indicus, -	329
Colubri venenum, -	339
Conium maculatum, -	326
Contagium, - -	359
Cucumis colocynthis, -	290
Cupri subacetas, - -	220
sulphas, - -	221
Cyanogenum, - -	308
Datura stramonium, -	326
Daturina, - - -	ib.
Digitalis purpurea, -	320
Elatina, - -	289-90
Euphorbia officinarum,	291
Gas acidum sulphurosum,	358
chlorinum, - -	357
hydrogenium carbonatum,	356
hydrogenium sulphuratum, - -	354

	Pag.
Gummi-resina stalagmitidis cambogioidis, -	286
Helleborus foetidus, -	289
niger, -	288
Hydrargyri bichlorides,	206
oxydum rubrum,	212
Hydrargyrus in vaporem versus, - - -	352
Hyoscyamus niger, -	325
Juniperus sabina, -	292
Miasma, - - -	359
Momordica elaterium, -	289
Morphia, - - -	298
Murias stanni, - -	225
Narcotina, - - -	298
Nicotiana tabacum, -	316
Nicotina, - - -	ib.
Nitras argenti, - -	229
potassae, - -	294
Oleum Amygdali amarae,	310
nicotianae, -	316
Opium, - - -	297
Oxyda hydrargyri, -	212
Phosphorus, - -	283
Picrotoxia, - -	330
Pisces veneniferi, -	346
Plumbi superacetas, &c.	271
Plumbum liquefactum,	255
Potassa, - - -	256
Potassae nitras, - -	294
Soda, - - - -	260
Stannum, - - -	225
Stanni murias, - -	ib.
Struchnos nux vomica,	327
Strychnia, - -	328
Subcarbonas ammoniae,	260
Sulphas cupri, - -	221
zinci, - -	225
Sulphuretum arsenici flavum,	204
rubrum,	ib.
Tartras antimonii, -	215
Venena acria, - -	278
adstringentia,	268
aëri immista, -	350
aëria, - -	351
animalibus orta,	338
mechanica, -	284
narcotica, -	296
rodentia, -	191
Veratrum album, -	287
Vespae venenum, -	341
Zincum et Sulphas, -	225

FINIS.

Excudebat P. Neill.